CAROLI
DE AQUINO
SOCIETATIS JESU
CARMINUM
Tomus III.





ROMÆ, MDCCIII.

Ex Typographia Antonii de Rubeis
in Platea Cerensi.

Superiorum Permissu.



THYRSUS GONZALEZ

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUM Tomum Tertium Carminum, Auctore Patre Carolo de Aquino, nostræ Societatis Sacerdote, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ita videbitur: cujus rei gratiâ has literas manu nostrâ subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 16. Maji 1703.

Thyrsus Gonzalez.

Hoc

Hoc III. Tomo continentur

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Pal. Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episc.
Verulanus Vicesg.



IMPRIMATUR.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Mag.

SATY-



SATYRA I.

Adversùs Deos fabulosæ Antiquitatis.

ARGUMENTUM.



Eterum Deorum irrisio ad morum disciplinam mirè proficit. Stultus eorum delectus, qui primos rerum inventores divinis honoribus coluerunt. Templorum nitor commendatur. Sed longè pulchrior eorum ornatus, accedentium pudor, & reverentia. Mars armorum Deus nihil distat à comico Milite glorioso. Fabula de Mustafo ligneum gladium in vagina gestante.

AT tu [1] Lucilj tractas præposterus arma,

1 *Monitor aliquis, ad loquendum inductus, hoc facit Satyræ initium. Poetam redarguit, quòd inusitatam, minùsque rectam conscribendæ Satyræ viam insistat; dum non hominum, sed Deorum vitia verbis castigat. Aperit deinde Author rationem consilii sui, docetque, ideo se fabulosæ antiquitatis Deos*

Qui pravos hominum parcus compungere mores,
Cælicolas ad flagra vocas; rasumque pudore
Os Cælo, [2] Phlegyas, [3] Phlegræque nepotulus, infers,
Et sacram graviùs peccas scelerosus ad aram.
Sed neque [4] Pantolabus summi est Regnator Olympi,
Nec [5] Balatro; nō magna Jovis Germana, [6] Fabulla est.

perstringere, ut Deorum flagitia, quæ cum vitiis omnis ætatis hominum sunt communia, liberè carpat; simulque justæ fortasse aliorum offensioni, & pudori suo consulat, dum, ab hominibus nominatim notandis abstinens, illis falsorum nomina Deorum substituit. Quòd si propria aliqua hominum nomina occurrent in his Satyris cum vitii nota usurpata, ea, Lector, omnia ab Authore prorsus conficta intelligas, & accipias. Ad has verò Notas, immo verò Notulas, cave accesseris, tanquam ad omnigenæ eruditionis nundinas aliquas, aut promptuaria. Iis solùm dilucidandis operam impendimus, quæ minùs obviæ sæpius occurrere in Satyra necesse est. Arma Lucilj, *idest Carmen Satyricum, cujus primus apud Romanos Author, Cajus Lucilius. Is Accii & Cæcilii, Poetarum in scena præstantium, æqualis fuit. in ejus stylo, scribendique ratione expendenda multus est Horatius.*

2 *Martis filius, qui Delphicum Apollinis Templum incendit. bujus sunt voces illæ apud* Virg. *6.* Discite justitiam moniti, & non temnere Divos. *pro viro summæ audaciæ hìc ponitur.*

3 *E prosapia Gigantum, qui Phlegræ sunt filii. item pro audacissimo.*

4 *Scurræ nomen, apud Horatium. ait, Jovem non esse Pantolabum, homunculum vilissimum, & morionem.* Ironicè.

5 *Balatrones dixerunt Veteres luti sordes, calceamentorum soleis collectas. ita* Festus. *hinc balatrones dicti homines nihili. Balatro etiam nomen est viri proprium apud* Horat. 2. serm. 8. *utralibet hìc acceptione locum habet. vile quippiam & obscurum insinuat.*

6 *Multa sunt Martialis Epigrammata ad Fabullam, mulierculam è trivio.*

Non sunt [7] Margites, Phrygiâ qui vina propinant
Fusa [8] manu, Cælique colunt [9] tonitralia Templa.
[10] Barbitium tutò non quisquam perfricet illis
Felsineâ spumante [1] pilâ. [2] Crinitula ridet
Turba sed hæc, [3] Phocas primas inflectere voces
Quam docet, ambiguis minimùm dubitandaque ponit
Signa [4] gerundivis. Quin hoc decurrere campo
Idcirco statui, quòd inertes tundere [5] truncos
Liberiùs liceat, nec responsare potentes.
Sola mihi meritas, unco raptata severo,
Culpa dabit pœnas: culpam qui sustinet ipsam,
Tam persentiscet, paleis quàm saccus acutis
Infertus, nostros vultus, humanaque membra
Qui simulat; qualem, ludos dum Sena frequentat,
Præcipitat turri, vetus est cui, [6] Mancia, nomen.

7 *Margites, stupidissimo ingenio, & insigni bipes stultitiâ apud* Homer.; *cujus versus adducit* Aristoteles *6.* Moral. Hunc neque fossorem voluerunt numina Divûm esse, nec Agricolam, nec in ulla præterea re scitum, aut egregium. *de absurda ejusdem stultitia exempla quædam habet* Suidas, *quæ festivissimè illustravit* Stephonius prosa. 8.

8 *Ganimedis Trojani, qui Jovi est a poculis.*

9 Cæli tonitralia Templa *dixit* Lucretius l. 1.

10 Barbitium *pro barba. vox est Apulejana, non indigna civitate donari.*

1 *Pila saponaria: cujusmodi optimæ proveniunt Bononiâ, quæ civitas* Felsina *vocitata. easdem Mattiacas dixit Martialis à Mattiaco, Oppido Germaniæ.*

2 *Poetæ responsio ad Monitorem.* crinitula turba. *Pueri, qui ludum litterarium frequentant.*

3 *Phocas Grammaticus.*

4 Gerundiva, *nomina sunt adjectiva, à Gerundiis formata: ut à* docendi, docendus, *a, um.*

5 *Deos fabulosos, inertes, quique impune cædi possunt.*

6 Mancia, *Turris est omnium editissima, quotquot Senas*

Quid si, dum Martis sicam, rixasque cruentas
Legerit hìc, aliquo [7] Vejanius ora rubore
Suffundat, qui cæde manus jucundiùs ambas
Abluit, expressis quam nupta puella ligustris?
Quid si, Mercurii dum viderit improba furta,
Ad sese redeat, [8] ferulæ expugnator ahenæ,
Birtius; armillas, & rapta monilia reddat;
Terque manu plangens mœrentia pectora, posthac
Rem sibi [9] fraudatis nolit cum clavibus esse?
Plus valet ad frugem, sanctum proponere rectum
Ingenuis animis aliena in imagine, quàm si
Ipsos confodiant acidæ convicia linguæ;
Ad vivumque seces, herbis medicabile, vulnus.
Dicam, quod forsan dictum mirabere: multùm
Res tenera est, [10] Mastigophorus, [1] Lictorque Lycæi.
Virga manu cautâ rigidi tractanda [2] Catonis:

ornant. ex bujus fastigio, certis festisque anni diebus, oppletus paleis saccus, qui humanam figuram assimilat, in præceps agitur, quem populus arreptum demum dilacerat.

7 *Vejanius. nomen Gladiatoris apud* Horatium Ep. l. 1. *hìc pro quolibet sumitur rixarum amatore.*

8 *Ut solent Fures januarum seras excutere, ut aditum sibi ad intima Domorum, & prædam faciant.* Birtius, *nomen furis ab Authore confictum.*

9 Fraudatis, *idest adulterinis clavibus.*

10 *Latinè, ferulæ gestator; quod solenne est in publicis Scholis ejus munus, qui in pueros, sicubi officio desunt, animadvertunt. ait autem, alienos mores carpere, rem esse non temere à quovis administrandam.*

1 *Lictores Magistratibus præibant cum virgarum fasciculis, & securibus alligatis. Monet id, animadversionem non debere esse præcipitem: sæpe enim, dum Lictor cunctatur in solvendis fascibus, Prætor sententiam mutabat.*

2 *M. Porcii Catonis, cujus disciplinæ severitas, & censura admodum timebatur.*

Sæpe graves monitus vindictæ virus acerbat;
Sæpe, odio propior, perdit censura vigorem.
Huc illuc vaga circumagens, [3] vinosaque tecta,
Urbes obtundit [4] Cynicus latrator Achivas.
Quid demum tanto dignum clamore, quid actum
Gutture contento semper, morsuque canino?
Num pudor accrevit mensis? reverentia templis,
Legibus obsequium, thalamis concordia major?
Nil minus. obliquos mores, convivia, ludos,
Et ganeas sicca sed taxat fauce [5] Sinopeus:
Nil refert; illum dum non ignara [6] Corinthus
Non recti studio, nec pulcro credit honesto,
Sed rabie ductum nunc hos, nunc turpiter illos
Impetere, insipiens ut se tulit obvia turba.
Inspice nunc Sophronisco genitore creatum,
[7] Cecropiden, sapere ante alios ab Apolline dictum.
Humanos animos, altùmque latentia corda
Attrectat figulus non illo doctior ullus.
Alloquio mitis, porrecta fronte, pudenter
Verba movens, hominũ cœtus, Juvenumque frequẽtat
Limina, vitandus nulli, nullique timendus.

3 *Dolium, quod erat illi pro tecto. Vide infra.*
4 *Diogenes Philosophus, Cynicus dictus, quòd canum more, omnium facta, dictaque morderet.*
5 *Diogenes, qui patriam habuit Sinopen, Ponti Oppidum. vides hæc per occupationem dici.*
6 *Diogenes Corinthi diem obiit, ubi Xeniadæ cujusdam liberorum pædagogum agebat.* Nil refert. *occupationi Poeta respondet.*
7 *Socrates Philosophus, Sophronisci & Phanaretæ Filius, Athenis est natus, quæ Civitas Cecropia, & Cives Cecropidæ dicuntur à Cecrope, ejusdem Urbis Conditore. Socratem, hominum sapientissimum Oraculum Delphicum pronunciavit.*

Dum Veneres dictis aspergit, & Attica Mella;
Dum monitus dulci [8] promulside condit amicos,
Et serpit facili circum præcordia lapsu,
[9] Urbem composuit: non tantum profuit illi
Ipse [10] Solon, non sanguinei libella [1] Draconis.
[2] Cliniadæ illustres atavos, vultusque decoros,
Ingentes & opes dederat fortuna: Pelasgi
Sed tirocinium longè majora [3] Magistri
Præbuit. in sese primùm, caveasque profundas
Cordis inaccessi vigilem demittere mentem:
Non avium, pecudumque fibras; sed, quid sua cæcis
Exta ferant latebris, rigidâ deprendere curâ.
Famam deinde bonam potius, quàm quęrere magnam.
Majores natu, rerûm prudentia solers
Quos ornat, colere; & visis assurgere canis.
Tum, quâ nulla prior præstantes jungit amicos
Illecebra, ancipites & vitæ servat in usus,
Ingenuum formæ, & generi sociare pudorem:
Elatæ frontis bullas, tumidumque rigorem
Expuere ex animo. quod post, tua tessera, [4] Juncus,

8 Promulsis. *potio ex mulsò condita. mulsum vero ex vino, & melle conficitur.*

9 *Athenas, ubi floruit, & doctrinæ sectatores habuit.*

10 *Solon, Patria Salaminius, unus è septem Græciæ Sapientibus. Author legum fuit Athueniensibus.*

1 *Draco, primus Athueniensium Legislator. sed ejus leges ob nimiam severitatem Solon abrogavit. unde etiam à Demade dictus non atramento suas leges scripsisse, sed sanguine.*

2 *Alcibiades Atheniensis, Cliniæ Filius, summo loco natus, ingenii, & formæ præstantiâ illustris, Socratis Disciplinâ clarior. idem postea egregius Imperator.*

3 *Socratis. cujus Alcibiades fuit per omne tempus studiosissimus.*

4 *Princeps è Gonzagarum familia (de Francisco Mantuæ*

Gloria Minciadûm, docuit, cum lemmate pulchro,
Alligo, dum flector. tacito quæ clarus [5] Alumnus
Actæi documenta [6] senis dum pectore volvit,
Contigit & patriæ carus, metuendus & hosti.
Hinc didicisse licet, præmolli dextera tactu
Quantùm proficiat, sapiens & cura medendi.
Nunc me turba Deûm, coluit quos vana vetustas,
Circumstat, poscitque manus. Nec Socrate ab ipso
Discedens, primùm rogito; num maxima rerum
Arbitra, securæque parens Sapientia vitæ
In censum nobis aliquem sit digna referri?
Annuis, ut video: rerum tibi gratulor æquum
Judicium, mentemque bonam. præponere posses
Illi tu nigræ quadram putrisque farinæ,
Porrigit agrestis vel quos [7] labrusca racemos?
Insanire putas, quæram qui talia. verùm
Hoc mihi sis æquus cupienti discere demum.
Divinos, Thebis natus, cur Bacchus honores

Marchione id memini legere, nisi me fallit memoriola) ad indicandam miram quandam humanitatem, quâ sibi omnium animos conciliabat, symbolum exhibuit, quo referebatur Juncus, *cum Epigraphe Etruscis verbis exarata:* Piegandomi lego. *quo ego symbolico Insigni, ut nihil simplicius, ita nihil facile in hoc genere expressius, pictiusque excogitatum semper existimavi.* Tessera, *signum est bellicum, quod ante aciem ducitur.* Virg. Ænei. 7. it bello tessera signum. *hic pro Insigni Symbolico.* Minciadę: *Mantuani, à Mincio amne.* Lemma *latinè sumptionem dixit* Tullius de Divin. *passim pro inscriptione usurpatur.*

5 *Alcibiades, Alumnus Socratis.*

6 *Socratis Philosophi Atheniensis.*

7 Labrusca, *vitis est per agrorum terminos, & sepes erratica, uvas rubentes parit, quibus vultus inficiuntur, ut moris silvestribus.*

Obtinuit? Cereri cur [8] stacte, myrrhaque sudat?
[9] Nempe quòd ille rudes in pocula verterit uvas,
Auro certantes prior hæc monstravit aristas.
[10] Perbellè. auderet nihil hìc reprehendere [1] Momus.
Colligo nunc, sparsim mihi quæ concessa dedisti;
Tu, quò [2] congeries te callida devehat, audi.
Si femori [3] Semeles soboles inclusa [4] paterno
Cæsarum molli colitur cervice bidentum,
Palmitis edocuit quòd robora [5] Methymnæi;
[6] Ennæas aras meruit si mater [7] Eleusis,
Triticeos culmos quòd prima ostenderit, Indum
Et, si vis [8] milium, lætisque sonantia squamis
Hordea; cur Socrati non ardua marmore surgunt
Templa [9] Paretonio; cujus, sapientia, donum est,

8 Stacte, *odoramentum ex recenti myrrha, aqua, & origano.*

9 *Respondet quispiam ad colloquendum inductus.*

10 *Resumit Author.*

1 *Qui cæteroqui omnia etiam Deorum facta irridere solet, & redarguere.*

2 *Argumentum acervale, quod vocant* Soriten.

3 *Bacchus Semeles Filius.*

4 *Cum Semele, fulmine icta, imperfectum fœtum emisisset, Juppiter illum suo femori applicuit, completisque mensibus iterum inde exiit Bacchus; unde & bisgenitus dictus.*

5 Methymna, *Lesbi Insulæ civitas, ubi vinum nascitur à Poetis laudatissimum. pro quacumque vite hìc accipitur.*

6 Enna, *antiquissima Siciliæ Civitas, ubi Templum Cereri dicatum visebatur, ut Author est* Tullius in Verr.

7 Eleusis, *Civitas in Attica, sacris Cereris insignis; quæ inde Eleusis, & Eleusina dicitur.*

8 Milium Indicum, *leguminis plebeji genus. vulgo,* grano turco.

9 Parętonium, *Oppidum, cum ingenti portu, Libyæ Cyrenaicæ, marmoribus clarum.*

Judice te, longè majus, quàm frugibus horrens
Meſſis, & irato vitis tollenda [10] Lycurgo?
An verò [1] Albani diluta [2] laguncula tanti
Sit cuiquam, panis lapidoſaque fruſta [3] ſecundi,
Quàm dociles ſanctis componere legibus urbes,
Subdere, vel certo moderamine flectere motus,
Aſſultuſque animi varios, iramque, metumque,
[4] Idaliuſque Puer quos oſſibus implicat ignes,
Et ventoſa leves quas ſumit gloria criſtas?
Hæc bona poſthabeat ſi quiſquam furfuris atri
Semodio, aut vappæ quantum [5] ſextarius offert,
Perpetuos illum jubeam traducere ſoles,
Marcomanûm pugnas ubi marmore ducta [6] Columna
Explicat, & ſolido effigiem regit ære superni
Herois, magno quo turget Tarſus Alumno.

10 *Lycurgus, Thracum Legislator, tollendæ civium ebrietati, vites omnes excindi, comburique juſſit.*

1 *Albani. ſupple,* vini. *Vinum Albanum ab anno decimo quinto vigorem ſumere, docet* Athen. l. 1. *Hodie vix trimum Albanum reperies.*

2 *Parva lagena. vas vinarium.*

3 Secundi, *ideſt ſecundarii. Panis ſecundarius, vulgaris eſt, ut qui conficitur poſt excerptum farinæ florem. opponitur ſiligineo.* lapidoſa, *ideſt dura panis fruſta.*

4 *Cupido, filius Veneris, quæ in Ida Phrygiæ monte colitur.*

5 Sextarius, *menſura eſt, ſextam congii partem continens, eaque tam liquidis, quàm aridis congruit.*

6 *Senſus eſt. qui ita prepoſterè judicet de Socrate, & Libero, aut Cerere, eum ad ſtultorum inhabitandas ædes dimiſerim. Urbanæ autem ſtultorum ædes in Foro ſunt, cui nomen fecit Columna Cochlis, quam Antonino Pio erexit Senatus. Inſculptæ ibi ſunt imagines Marcomanici belli: in ejus faſtigiò æneum viſitur ſimulacrum Divi Pauli Apoſtoli, Tharſenſis.*

Nam neque ridendus magis est, & verbere dignus,
Serica purpurei qui stringere vincla [7] galeri,
Numinis aut credit gestare vicaria sceptra;
Et, gravis incessu, nunc hos, nunc respicit illos,
Dividit inque crucem sublatis aera palmis.
Ante aviam veteris [8] Fauni, [9] Janique bifrontis
Imperium, [10] digitis crepitum vix edere primis
Gens Italûm norat, [1] cubitoque emungere nasum.
Non oboli duro fungorum cortice natos,
Non [2] hujus faceres. Latio memorabile nomen
Sed postquam fecit, [3] Dictæis pulsus ab oris,
Saturnus; validos postquam cum falce ligones,
Et terræ varios usus, artemque colendæ
Monstravit populis; Cælo demissus ab alto,
Vitisator tunc ille Deus, Deus ille vocatur
Falcitenens, & quo se nomine gratiùs ornat,

7 *Ut solent à mente dejecti homines, se viros illustres, aut etiam Purpuratos Patres, & Pontifices maximos credere, & jactare.*

8 *Faunus, Latini Regis Pater, de quo* Virg. l. 7. Ænei.

9 *Janus, antiquissimus Latii Rex, aliis bifrons, quadrifrons aliis dictus, quòd plures haberet vultus. Anno præerat, cujus quatuor tempestates, quatuor exprimit vultibus. Augur etiam, pollentique rerum memoria fuit: id secuti bifrontem dixerunt. alii ad alia referunt. vide Mythologos.*

10 *Quo utique facilius est nihil.*

1 *Cubito nasum emungere rudes quidem, & inelegantes solent: sed hìc adagium flectitur ad rem facilem exprimendam in rudi, agrestique populo.*

2 Non hujus facio. *alterum est adagium, juvandum gestu pileam, floccum, unguiculum, summum digitum ostendentis, aut quidpiam simile.*

3 *Cretensibus. Dicte, una est ex centum Cretæ Insulæ civitatibus.*

[4] Sterculius. surgunt altis in montibus aræ;
Castaneæ, piceæque [5] cadunt: [6] libamina prima,
Myrthus odora crepat flammis, & stridula laurus.
Hic ego non quæro, quid patri fecerit [7] ille;
Quos [8] natorum artus ventri demiserit assos,
Quos pingui elixos olla, quos jure natantes
Cappare condierit, fragrantibus & [9] calamynthis.
Nativori fœdam ingluviem, rabiemque [10] parentis,
Et quidquid demum Cretæ regionibus egit
Longinquis, hebetes credam nescisse Latinos.
Sed nec quæsierim, quæ gratia tanta, decorque,
Quantaque majestas superis accesserit oris
A [1] sene mucoso, qui cælo [2] caustica septem
Ulcera, [3] amaracini ferret redolentia succos;
Qui tetro fluidæ conspergeret imbre salivæ

4 Sterculius *dictus est Saturnus, agrorum stercorationis inventor.*

5 *Aris fronde convestiendis.*

6 *Utpote apud rudes, & tunc primum sacrificia facientes.*

7 *Pudenter tangit quod est in fabulis, à Saturno Cœlum genitorem exsectum fuisse.*

8 *Saturnum filios vorasse, docent Fabulatores.*

9 Calamyntha, *herba est menthæ non absimilis. vulgo* Nepitella.

10 *Saturni, natos vorantis.*

1 *A Saturno, sene multis senectutis incommodis, & sordibus obnoxio.*

2 Caustica ulcera, *cauteria.* caustica, *quia igne, & ustione fiunt.*

3 Amaracinum. *Unguentum ex amaraco, quæ herba est odoratissima, eaque creditur, quæ vulgo dicitur,* Majorana. *hinc adagium apud* Gellium. *nihil sui cum amaracino; nihil cum fidibus graculo.* Ironicè.

Intertextam auro chlamydem, Phrygiosque tapetes,
Et solium, & stantē Procerumque Ducumque coronā.
His ego præteritis tanquam levioribus, unum
Et queror, & nunquam desistam poscere; vecors
Turba [4] Aborigenidûm cur supra [5] Cassiopæam,
Parrhasiamque [6] Helicen posuit, quē Creta [7] tyrannū
Ad Tiberim misit, veniunt quo dulcia lembo
[8] Malvatica, & pavidis [9] dictamnus nota capellis?
Cur contra delubra [10] Numæ non condidit ulla,
Pubis Romuleæ qui, consultiss mus æqui,
Relligione potens, emolliit aspera corda,
Et pia pugnacem traduxit ad otia gentem?
Illene plus meruit [1] runcinâ, & falce reperta,
Quàm [2] Curibus natus studio cultuque Deorum?

4 *Aborigines, quasi sine origine, hoc est antiquissimi, ut quorum origo ignoretur, dicti sunt Italiæ populi, qui post adventum Æneæ in Italiam Latini sunt appellati.*

5 *Cassiope, Cephei Æthiopum Regis uxor, cum se Nereidas præstare pulchritudine jactaret, in Andromedam filiam immisso monstro, pœnas dedit: mox in sidus conversa est.*

6 *Helice. Ursæ polaris sidus.* Parrhasia, *regio est Peloponnesi, ubi ortum duxit Calysto, quæ in Ursam est commutata.*

7 *Saturnum antiquissimum Cretæ Regem.*

8 *Vina Cretensia.* Malvagía.

9 Dictamnus, *herba est, cujus ingens copia in Insula Creta. ejus descriptionem lege apud* Virg. Ænei. 12. *præsentissimam vim habet pellendis venenis. de ea ita* Cicero de Nat. Deor. Capras auditum est in Creta feras, cum essent confixę venenatis sagittis, herbam quęrere, quę dictamnus vocaretur.

10 *Numa Pompilius, æquitate insigni Romanorum Rex, & legum conditor.*

1 Runcina. *serra est prægrandis.*

2 *Numa, Curibus in Sabina natus.*

Falcula Saturni præstat, te Judice, fortis
Astreæ gladio? ferro tondere comantis
Luxuriem vitis plus est, quam devia morum
Corrigere, & sceleri falcem objectare severam?
Sacrificos frustra ritus, lustramina frustra
Agrestes animos docuit, sanctumque pudorem
Justitiamque sequi jussit, justissimus ipse.
Certè nec diro dulces in viscera natos
Immisit [3] morsu; convulsa nec ungue cruento
Projecit, quæ patris [4] erant. nunc ille Sabinæ
Gentis honos jacet, & meritis pro talibus unam
Gramine plebejo stratam non possidet aram.
[5] Falcifero extorri, læto celebranda quotannis
Cum fremitu, redeunt sed Saturnalia. claudit
Ostia [6] tornator, textor; ludique magistri
Suspendunt ferulas, ingrataque murmura ponunt:
Romula vinosos peragit dum turba [7] Decembres,
[8] Albatus populo præbet convivia Consul.
Exhilarant Urbem choreæ, convivia, ludi,
Munera cum [9] Xeniis, & [10] sportula missa frequenter,

3 *Ut fecit Saturnus.*

4 *Vide, quæ adnotavimus.* pag. 11. vers. 4.

5 *Saturno à Creta pulso.*

6 *Tabernæ januam, quod solent Artifices, cum solennes festique dies occurrunt per annum.*

7 *Quo mense saturnalia celebrabantur.* & multo gravidus Mero December, Saturnalibus optimo dierum. Catullus.

8 *Festos dies albis vestibus agere Romani solebant.* ille repotia, natales, aliosve dierum festos albatus celebret. Horat. 2. Serm. 2.

9 Xenia, *munera erant, quæ Hospitibus, honoris gratia, tradebantur.*

10 Sportula, *diminutivum à sporta, quæ vasis aut fiscellæ*

Et quidquid narrat, qui Saturnalia scripsit,
[1] Macrobius. Quamvis illis tu parcere posses:
Non omnem gelido positæ nam sidere mensæ,
Exuerant omnem nec [2] Massica fusa pudorem.
Non hìc Ideæ Matris [3] Megalesia, non hìc
Ismariis ululata jugis [4] Dionysia dicam,
Pellitosque Choros Panis, nudosque [5] Lupercos.
Quòd si [6] bruma tenet stomachi te torpida tantùm,

genus est. frequenter apud Scriptores accipitur pro ciborum distributione, quæ ad populum fiebat. Martial. promissa est nobis sportula, recta data est.

1 *Macrobius septem libros Saturnaliorum scripsit, in quibus tum plurima omnigenæ eruditionis, tum de Saturno, & festis Saturnalibus multa continentur.*

2 *Massica vina laudatissima apud Veteres. dicta à Massico Campaniæ monte.* Virg.7. Ænei. vertunt felicia Baccho Massica. *sensus est. sed saturnalia demum minus impudenter agebantur, quàm alia sacra, de quibus infra.*

3 Megalesia, *ludi Megalenses in ipso Magnæ matris Deorum Templo celebrabantur, probrosa, infandaque turpitudine.*

4 Dionysia, *idem quod Bacchanalia; nam Bacchus Dionysius dicitur. ludi erant detestabili obscœnitate. eadem Orgya antiquitus dicta: in quibus Bacchæ, Liberi pedissequæ, per Thraciam, ubi Ismarus est mons editissimus, incredibili impudentia excurrebant.*

5 Lupercalia, *feriæ erant, ludique dicati Junoni, & Pani. in his Sacerdotes, Luperci dicti, nudi cursitabant ferientes obvios quosque scuticis ex caprina pelle confectis. Vid.*Ovid. 2. Fast.

6 *Sensus est, quod si tam es stupidus, ut basce impuritates Sacra vocare possis, & Templa, locum ipsum turpium sacrorum; quo appellabis nomine stabulum, & ganeas, nihilo illis immundiores?* brumam *dicit, stomachi stuporem. Stomachum autem ipsum pro actu tolerandi posuit, frequenti apud Scriptores metaphora.*

Has [7] foricas possis ut dicere sacra Deorum,
Hæc si Templa vocas, dici has non abnuis aras:
Quid, rogo, sunt stabuli sordes, hædilia, caulæ?
Quid [8] fornix venalis olet, quid lustra, lutoso
Mersa volutabro quid setas horrificans sus?
Maxime Rex Superûm, Juno, Berecynthia, Liber,
Plebs Latii tales vobis si præstat honores,
Relligiosa pedem referunt cum sacra quotannis,
Arcanis cum major honos, & voce Sacerdos
Ter rigida clamat, procul ò, procul esse profani;
Quàm sancta vos mente colet, quàm corde pudico,
Nequitiæ solvet cum frena licentior annus;
Cum secreta domus, suadentque silentia culpas,
Altaque nox nigris obvolvit crimina pennis?
Multo fœda luto cum balnea [9] Græculus ille
Cerneret, ad socios versus, qui corpore nudo
Hic lavitur, dixit, sese quibus abluit undis
Ille iterum? semel inspicias si talia Templa,
Et Sacra Cælituum, dicas non protinus ipse,
Ædibus his vitæ qui sordes expiat, Ædes
Quas iterum, quæ Fana petat? debere fatemur
Hoc Superis, quos [10] Praxiteles, Phidiâsque crearunt,
Omnibus ut procul à Templis, Domibusque Deorum
Exeat, incolumem qui vult servare pudorem;
Majores animos ut Relligione Magistra

7 Forica, *publicus est, ubi ventris onus dejicitur, locus.*
8 *Mulierculárum quæstum corpore facientium locus. idem ferme, quod* lustra.
9 *Diogenes Cynicus.*
10 *Dii mentis expertes, quique nihil sunt aliud, quam muta illa marmora, quibus formam indiderunt Statuarii, quales Phidias, & Praxiteles.*

Sumeret improbitas, totoque licentia circo
Gaudeat, Auſpicibus ſcelerum, [1] Prætoribus ipſis.
Ionidûm decus, ô [2] Juvenis, cui pinea flagrat
Tæda manu, magnæque ſitis ſub pectore famæ
Æſtuat, effrenum nil non audere jubetque,
Magnanimas immitte faces, Epheſique [3] Dianam
Corripe; vindicibus propera clareſcere flammis.
Ætas, ſi ſapiet, laudabit poſtera factum;
Carpere ſi malit, plebis ſuffragia ride:
Obſcurum, facile eſt, poſt Numina, ſpernere vulgus.
Tu quoque, [4] quem Lapithę Regē,quē rura verentur
Theſſala, mendaces [5] Delphos exure, [6] loquaci
Cum tripode,atque [7] ipſum pharetras arcûque tenētē.
Tu demum, volucres cui ſufficit Ætna ſagittas,
Summe pater, jaculo ſublimia protere templa,
Ut facis, & totos illuc impende lacertos.

1 *Diis ipſis, quorum officium eſſe debuerat in vitia, & pravos homines animadvertere, cujuſmodi erat poteſtas prætoria apud Romanos.*

2 *Heroſtratus Epheſi civis, quæ Jonicarum Urbium in Aſia minori fuit clariſſima. Is Dianæ Epheſinæ templum, inter mundi miracula adnumeratum, & ducentorum annorum ſpatio extructum, una nocte incendit, præpoſtero famæ, æternandique nominis deſiderio.*

3 *Templum Dianæ Epheſiæ.*

4 *Phlegyas Lapitharum Rex in Theſſalia, quem Apollinis Delphicum templum incendiſſe diximus hac* Satyr. pag. 2. v. 3.

5 Mendaces Delphos, *ideſt Templum Delphicum, ubi Apollo oracula utique vaniſſima edebat.*

6 *Utpote ex qua oracula promebantur.* tripus, *proprie eſt olla tripedana ad calcfaciendam aquam. hic baſim illam ſignificat, quæ Apollinis ſacra, utque alii contendunt, ſimulacrum ipſum ſuſtinebat.*

7 *Apollinis Simulacrum.*

Hac

Hâc tibi propositâ nunquam, fortissime, metâ
Errabis. fœdos apices, maculosaque saxa
Eluerit non ulla satis [8] Lipareia fornax:
Non si projicias quot habet Trinacria montes,
Par eris, & totas Ætnæ jaculere [9] tabernas.
Qui legis hæc, quid Sacra Sacris, quid nostra profanis
Distent Templa, vides. Probitas, pietasque, fidesque,
Puraque simplicitas, illibatique pudoris
Gratia quas aras colimus speciosiùs ornat,
Quàm Polycletæo spirant quæ marmora cęlo,
Et picturatus celsa testudine fornix.
In partem nec nostra trahas tu dicta sinistram.
[10] Attalicos tanquam sacris effulgere muris
Ornatus damnem, [1] Temeseque rigentia signa,
Quæque illusa nitent [2] Cois aulæa figuris.
Saxoso quem monte super Volaterra creavit,
Si clamat [3] Vates buccis turgentibus: *Aurum*
Quid facit in sancto? tu quid respondeat, audi,
Lingonica de valle [4] Senex Mellifluus: *Aurum*

8 Lipara, *una est, eaque maxima ex Insulis Æoliis. Eadem Vulcani officina.*

9 Jaculere tabernas, *dixit consuetâ Poetis figurâ; tabernas ponens pro sagittis, quæ in tabernis ferrariis Ætnæ cuduntur.*

10 *Attalica peripetasmata dixit* Cicero in Verr. *aulæa auro intexta: ita appellata ab Attalo Pergami Rege ditissimo, & splendida in primis suppellectile ornato.*

1 Rigentia Temese, *idest ære extracto à Temese Cypri Oppido, ubi lectissimæ ærifodinæ.*

2 *Apelle dignis, cujus fuit patria Cous insula.*

3 *Auli Persii Volaterrani, Vatis Satyrici versus est.* Sat. 1. Dicite Pontifices in Sancto quid facit aurum?

4 *S. Bernardus à sermonis suavitate Mellifluus appellatus,*

[5] *Quid facit in freno?* [6] quod postes, scrinia, mensę,
Quod pilenta bibant, quod picta [7] petorita, largè
Suppetit; irradiet quod summi Numinis aras,
Defuerit? [8] Peruæ tunc quisquam effœta queratur
Viscera, [9] Pannonicas & defecisse fodinas?
Quadrupedes ostro instrati cervicibus altis
Si quatiunt [10] silvam, quæ purpureis [1] lemniscis,
Et Serum picto sublimis [2] pegmate surgit;
Sidonio latos humeros velatus amictu
Cur non incedat, libamina pura Sacerdos
Qui tractat, Numen diciteque vocantia verba?
[3] Byssina [4] pellicei Patres cur ferre recusent,
Et quas progignit lanas [5] mus Ponticus albas?

Sacerdotium, & Cœnobium Claræ-vallis condidit in ea Galliæ parte, ubi olim populi erant Lingones.

5 *Verba sunt S. Bernardo adscripta.*

6 *Supple*, aurum.

7 Petoritum, *Gallici vehiculi genus.* pilentum, *vehiculum erat, quo Matronæ ferebantur.*

8 *Peruviæ, Americanæ Provinciæ, auri fodinis notissimæ.*

9 *Satis constat montes Pannoniæ probatissimo auro fœtos esse.*

10 Silvam *dixit, sericos tæniarum floccos, quos equinis crinibus ad ostentationem alligari mos est, præsertim cum equestris pompæ incidunt solennitates.*

1 Lemnisci, *fasciolæ sunt ex coronis dependentes; hìc ad sericas tæniolas transferuntur.*

2 Pegma, *editum tabulatum significat. hìc per translationem congeriem tæniarum appositam equorum cervicibus.*

3 *Lina subtilissima, magnique pretii.*

4 *Præcipui Ordinis Presbyteri, qui apud Episcopum assident, vulgo,* Canonici. pellicei Patres, *quòd integumentis è pelle pretiosa humeros ornent.*

5 Mus ponticus *mollissimam, & admodum pretiosam habet pellem. vulgo,* Zibellino.

Sacrorum Præses cur abnuat ipse coronam
Gemmantem, & lato digitos [6] nictare smaragdo?
Divitiæ, ingenium, vires, connubia, proles,
Omnia proveniunt demum feliciter illis,
Cælituum quorum pietas spectabilis Ædes
Sublevat, & largo juvat indulgentia censu.

Caverat hoc Vates, læta quem fronde palumbes
Cinxerunt [7] puerum: [8] Repares nisi Templa Deorū,
Et quæ degeneri fumo simulacra nigrescunt,
Immeritus delicta lues, Romane, parentum.
[9] Haud dubiè multò loquitur cordatius [10] iste,
Aurum quid facit in Sancto, quàm cum crepat Aulus. [1]

Templa sed, [2] Æneadæ magni, certantia Cælo
Intèrerit minimùm regali ponere sumptu,
Si pietas, quantum quæ surgunt marmora, friget;

6 Nictare *oculorum est proprium. hic transfertur ad vibrationem gemmæ annularis.*

7 *Horatius Flaccus, cui quod in pueritia accidit admodùm mirabile, accipe ipsius verbis.* l. 3. Od. 4.

Me fabulosæ Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere.

8 *Horatius ad loquendum inducitur. hujus de exornandis Templis gravissima est sententia.* l. 3. Od. 6.

Delicta Majorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.

9 *Redit sermo ad Autorem.*

10 *Horatius.*

1 *Aulus Persius.*

2 *Romani, qui ab Ænea oriundi.*

Si pudor omnis abest; si nulla silentia sacris;
Numinis ante pedes ipsos si cornua tollit
Ebrius, & gravior prostrato corpore fastus.
Compositos animi justo libramine motus
Flectere, nullâ intus culpâ livescere, cordis
Particulam nullam fluxis apponere rebus,
Hæc dona, hos primos templis debemus honores.
Laudo equidem, spoliis ornes quòd divitis auri
Virginis effigiem, quæ Numinis aucta secundo
Afflatu, Numen divinæ protulit auræ
Auspiciis, expers thalami, tedæque jugalis.
Gemmea Virgineo suspende monilia collo,
Et quod terrarum gestat Regina, polique,
Exsatura Libycis sertum crinale pyropis.
Sed cur incestos, illa spectante, retorques
Huc illuc oculos? vultu cur lumina figis
3 Emptitio, Cyprios & pectore concipis ignes?
Cur, Virgo quæ templa tenet purissima, reddis
4 Busta pudicitiæ? non sunt 5 Floralia, non sunt,
Ista. procul madidos fracto cum murmure nutus,
Singultus apage improbulos, rorantibus & cum
Lacrimulis medicata procul suspiria tolle.
Parciùs ista tamen monstraret degener ætas,
Et sua constaret templis reverentia, cœtus

3 *Comptulo fœminarum vultu, & sæpe venali.*
4 Busta, *sunt loca, in quibus jam corpora arserunt: primò enim pyræ dicuntur & rogi; ubi verò arserunt, busta vocantur. Hæc* Donat. in 11. Æneid. Busta pudicitiæ, *ubi pudicitia omnis est consumpta; ut cadaveris nulla pars in busto remanet.*
5 *Ludi, & Sacra, quæ à Romanis summâ licentiâ, & detestabili inverecundia celebrabantur in Campo, qui adhuc Floræ dicitur. Ea sacra ut celebrare posset Populus Romanus, compulsus fuit Cato discedere à Theatro. Vide* Ovid. Fast. 4.

Si pudor ornaret, tectæque modestia frontis
Fœmineos. picti vultus, exertaque colla,
Nullaque pellacis formæ custodia, flammas
Ventilat incautæ venis & corde Juventæ.
Summo mane thorum discusso fœmina somno
Deserit, horridulus cum nondum verna per omnem
[6] Acidulam vendit stomachis languentibus Urbem.
Continuò, longos famula pectente capillos,
Assidet ad [7] mensam. ficti medicamina vultus,
Hìc centum phialæ surgunt, pigmentaque centum,
Suppetiæ tenues, & sustentacula formæ,
Adversùs rugas, albescentesque capillos,
Damnaque vicinæ non intellecta senectæ.
Hæc Syrium [8] gummi, Thymbræos illa receptat
Capsula [9] pastillos; hìc vitri spuma rubentis

6 Acidula, *aqua est Urbana, à saporis acrimonia ita dicta. adversùs multa morborum genera præsentissimũ remedium esse dicitur. Summo mane bibitur, quo illam tempore institores compitalitii cum clamore divendunt. Non procul à vid Flaminia, ad ripas Tiberinas visitur ejusdem scaturigo, cum recenti ornatu è lapide Tiburtino.* Verna horridulus; *incultus scilicet, vestituque sordido.* Cic. ad Attic. 2. 16. 2. quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, & incompta visa sunt. *Idem* in Orat. horridulas orationes *dixit, nimirum inornatas & incomptas.*

7 *Intellige mensam comptoriam, quæ mundum muliebrem recipit.*

8 Gummi, *neutr. gener. indeclinabile. glutinum est quarumdam arborum. Orientale est magis in pretio.*

9 Pastilli *sunt in panis formam massulæ: Græci trochiscos vocant. alii medelæ, alii odoris gratia conficiuntur.* Hor. 1. Ser. Saty. 2. Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum. *pastillos vero Thymbreos dixit, à Thymbra Phrygiæ oppido, ubi magna vis fragrantium herbarum, thymbræ præsertim, unde & nomen adepta est.*

[10] Scoria vulnificis riget hìc educta metallis.
[1] Testula [2] cerussæ custos hìc tollitur, illic
[3] Seriola [4] ardentis minii; ferrugine sunt quæ
Coctilis [5] arsenici livent [6] conchylia; sunt quæ
[7] Cinnabari [8] pocilla rubent. tam fœtida dictu
Proluvies nulla est, & [9] recrementa, volutet
Queis se non ultro, malasque ingurgitet ambas
Fœmina, confidat modò pulchrior inde reverti.
Omnia sed postquam cerato [10] albaria vultu
Sorbuit, & sparsis micuit spectanda [1] venenis,
Aggreditur [2] Spartam facili non arte regendam,

10 Scoria, *metallorum est purgamentum*.

1 *Vas testaceum exiguæ molis*.

2 *Unguenti ad faciem dealbandam*.

3 Seriola, *diminutivum à* feria, *quæ vasis genus*.

4 Minium, *terræ rubræ genus*, *pictoribus notæ*.

5 Arsenicum, *idem quod Latinis* auripigmentum *Martinio est: secus censet Matthiolus*.

6 Conchylium, *genus est piscis testacei*. *hìc piscis pro ipsa testa sumitur*. *solent autem hujusmodi testulis mulieres asservare colores ad vultum inficiendum*.

7 *Cinnabarim alii Draconis sanguinem terrâ mixtum putant; alii Indicæ arboris lacrimam*. *accensi admodum est ruboris*. *de illa vide* Martinium.

8 Pocillum, *diminutivum à poculo*.

9 Recrementa, *sordes*, *& purgamenta minimùm distant*.

10 *Albarium ex pura calce fit*, *& tectorio illinitur*. *hìc pro pigmentis mulierum*. *vultum* ceratum, *incrustatum intellige coloribus adventitiis*.

1 *Pigmentis & coloribus ascititiis*, *qui plerumque venena sunt*, *summa præsentique vi ad occidendum*, *si in stomachum dejiciantur*.

2 Spartam ornare, tueri Spartam *dicimus antiquo adagio*, *susceptam personam cum laude sustinere*. *Vid*. Cicer. ad Att. l. 4. Ep. *6*.

Comere inauratos, ferro & vibrare capillos,
Legis ad imperium, præsens quem præcipit usus.
Dividit haud ullus Geometra exactiùs agri
Propositi spatium; fulgentes ære catervas,
Et turmas Equitum Ductor non instruit ullus
Aptior, ut dociles crines discriminat illa.
Hos jubet inferiùs subsidere molliter; illos
Attollens modicè, ferro contorquet & igni:
Pars coit in nodum, pars libera nexibus errat.
Lambere colla sinit flexos, geminamque sub aurem
Ludere [3] cincinnos: [4] delirat setula sulco
Nulla suo: demum nihil est in vertice toto
Leges dente suas cui non præscribat eburno,
[5] Vitruvio melior. certa quibus arte peractis,
[6] Capreolos cirrorum omnes, fastumque comantem
Pyxidulæ veteris noto perfundit odore,
Nec parcit Cypriâ caput irrorare [7] pruinâ.
Ingens [8] fumifici tunc verticis incrementum,
[9] Suggestus nitidam frontem cubitalis obumbrat,

3 Cincinni *sunt* Festo *crines intorti*.

4 Delirare *propriè dicitur de aratore, & est de sulco arantem deflectere;* lira *est terra elata inter duos sulcos. hinc à recto, à mente delirare dicimus.* setula *diminutivum à* seta; *hic pro capillis*.

5 *Architecturæ leges, in ornando crines, servat melior Vitruvio, cujus leguntur libri de Architectura*.

6 Capreolos *dicimus coliculos intortos vitis. hic pro cincinnis*.

7 *Pulvere Cyprio*.

8 *Fumum inanis gloriolæ, tanquam è camino ejicientis*.

9 Suggestum, *editiorem locum, in quo causæ dicebantur, dixit* Cicer. 1. de Divin. *hic sumitur pro turbinata, elataque calantica nostræ ætatis fœminarum*. calantica, *fœmineum est capitis tegumentum, Hodie nostrates vocant*, Capo cresçente.

Candida purpureis ornata calantica vittis.
Decidit hinc bysso candenti zonula duplex
Argutis rejecta humeris: fastigia summa
Tæniolæ, pictisque tegunt segmenta [10] cucullis;
Collecta in nodos habili quæ lucida morsu
Fibula, [1] beryllo gemmas imitante, coercet.
Pars [2] lemniscati sed tegminis ultima curvas
Definit in rugas; omnique obnoxia vento,
Crispati lunata tremit [3] lactucula veli.
At rigidi consulta frequens censura [4] specilli
Gypsati vultus postquam [5] fomenta probavit,
Exurgit mensâ. Sumit [6] multicia primùm,
Aurata involvit sese mox [7] cyclade: verrit
Denticulata solum promissæ fimbria pallæ;

10 Cucullus, *rude est capitis tegmen. pro involucris, quibus utuntur pigmentarii posuit* Martial. l. 3. vel thuris, piperisque sit cucullus. *transfertur hìc ad involucra tæniarum.* teniæ *autem*, vittæ, zonulæ, segmenta, *sericæ sunt levesque fasciolæ, ad vestium ornatum.*

1 Beryllus Isidoro l. 16. c. 7. *gemma est, quæ in India gignitur, pallore mista viriditate. Author hìc sequitur acceptionem vulgarem, de qua ita* Boet. l. de C.70. Itali hodie crystallos, qui angulorum multiplici reflexu aliquos colores in se habere videntur, beryllos vocant.

2 *De lemniscis vide supra* pag. 18. v. 7.

3 *Velum ipsum calanticæ complicatum superiùs in modum lactucæ.*

4 Specillum. *diminutivum à speculo.*

5 Fomenta *idem sunt, quod focillationes. sed metaphoricè fomentum, juvamen dicimus.* Horat. 1. Epist. frigida curarum fomenta. Exurgit mensâ. *ubi sessitans vultum ornaverat.*

6 Multicia, orum. *genus interioris vestis subtilissimæ; à mulcendo, vel à multis liciis, quibus texebantur, dicta.*

7 Cyclas. *fœmineum vestimentum, & corpus circumdans,*

Palla sed exuccos ut pictiùs exprimat artus,
Undosam lateri adstringit, cogitque, premitque
Arctiùs, austeros quàm nexo fascia ferro
Silvicolas torquet, redimunt qui crimina vitæ
Fletibus, & duris mercantur sidera pœnis.
Quæsitæ cruciat miseram sic putida formæ
Gloriola; utque aliis placeat, se conficit ipsa.
Tanti est monstrari digito, plausumque venustæ
Colligere, & gratos, turba occurrente, susurros.
[8] Obstipo capite, & compressis [9] juncida costis
Excedit tandem foribus: longæva vetustos
Claudit anus postes, laterique pedissequa pergit.
Inserit [10] illa manus [1] vulpinis pellibus ambas,
Et, [2] simulans globulos digitis devolvere sacros,
Inter adulantes strepitus, & murmura vulgi
Obvia, succedit templo. [3] Subsiste parumper,
Audaces suspende gradus. hoc limina fastu
Relligiosa petens, vanæque ornamine frontis,
Non tu divinos curare fereris honores,
Sed rapere. Ardentes Superûm lucentibus aris
Dirigeret quas turba preces, tibi scilicet uni

unde etymon habet. Propert. & longa cyclade verrit humum.

8 Obstipum; *flexum & inclinatum passim exponunt interpretes.* Vossius *è diverso erectum, à stipite originem trahens, non à stipando. est igitur obstipum caput, instar stipitis rigidum, immotumque. Vide* Voss. Ethymol.

9 *A junco fit* junceus, *quod est ex junco;* & juncidus, *quod est ad modum junci.*

10 *Domina, quam comptam legisti.*

1 *Manica hiemali, quæ pellibus vulpinis confici solet.* Manicotto.

2 *Globulos precatorios.* Rosario.

3 *Author feminâ inani ornatu ad Templum itantem increpat.*

Asseris, inque tuos certas avertere vultus;
Nec supplex, sed Numen eris. vestigia retro
Impia, sacrilegumque pedem deflecte. procaces
Non tu [4] Silenos, Satyros, Faunosque bicornes,
Romanæ nec sacra [5] Lupæ, [6] Comique frequentas.
 Est aliquis, mihi qui molles hic vellicet aures;
Improbet egressus longos, & fine carentes.
Quò tantum [7] verbosus abis? de lente [8] Sabellâ
Dixti mira satis tot versibus; ast ego [9] falces
Poscebam. veterum tibi quò demorsa Deorum
Crimina? quò recidit divinos ardor in hostes?
Consumpsit totam [10] tressis fœmella papyrum.
 Accuso [1] factum, sortem, usuramque paratus
[2] Solvere; nunc adduco [3] sinus, iterumque [4] domi sũ.
Et ne forte metum mihi vana facessere credas

4 *Silenus*, *Bacchi nutritor*. Satyri, Fauni, *Dii sunt silvestres*, *iique nu'lâ verecundiâ*.

5 *Floræ*, *de cujus sacris diximus*. pag. 20. v. 19.

6 *Comus*, *Deus est comessationum*, *saltusque licentioris*. *ab eo dictas esse comessationes author est* M. Varro.

7 *Monitoris alicujus sunt verba*.

8 Mira de lente. *proverbium est in eos*, *qui rem humilem*, *& pusillam magnificis laudibus attollunt*. Sabellam, *idest Sabinam*.

9 Falces postulabam. *adagium in eos*, *qui respondent*, *quod nihil attinet*; *ortum à rustico*, *qui vicino falcem petenti*, *negavit sibi ligonem domi esse*: *cui subiratus alter*; *at ego*, *inquit*, *falces postulabam*.

10 Tressis. *vilis*, *trium assium*. fœmella, *diminutivum à fœmina*.

1 *Authoris responsio ad Monitorem*.

2 *Metaphora à fœneratoribus ducta*.

3 *Metaphora à nautis*, *qui velorum sinus colligunt*.

4 *Ad institutum redeo*.

Numina cum toto, ſi vis, [5] Varrone; Gradivum
Aggrediar, fertur qui pugnaciſſimus, ipſum:
Ipſum ſtat media inter millia quærere [6] Turnum.
Verba quidem, bombos, promiſſaque fortia nullus
Comicus efflabit tantum [7] rixator, ut ille:
Sed [8] perterricrepo ſonitu nil denique dignum,
Præſtabit vano nil [9] ampulloſus hiatu,
Poſtulet auxilium præſens ſi pugna, manuſque.
Eminus altiloquis verbis pugnare peritus
Vel muſcas metuit, nocturnaque ſpectra; Jovemque
Invocat ad pulicis morſum. [10] Piſander, [1] Epeus
Dicuntur tanta nunquam formidine capti:
Dejectos minùs ipſe animos, [2] leporinaque corda
Geſtat, opum cuſtos, pavido ſub pectore [3] Plutus.

5 *Marcus Varro de Diis prolixè ſcripſit. opus illud, ut pleraque ejuſdem Authoris, intercidit. frequenter de eo opere mentionem faciunt* S. Auguſtinus, Lactantius, *& alii.* Petrarc.
Tutti ſon quì prigioni i Dei di Varro.

6 *Ideſt Martem Deorum fortiſſimum. quo ſæpè modo Æneas inter Latinorum turmas Turnum quærit apud* Virgilium.

7 *Uſitatum eſt Comœdiarum Scriptoribus, Milites glorioſos inducere.*

8 *Lucretianum eſt verbum.* Tum perterricrepo ſonitu dat miſſa fragorem l. *6.*

9 *Turgidus. nam ampulla vas eſt ventre amplo: atque hinc potiùs dictam putem, quàm à bulla.* Horat. in Art. projicit ampullas. Idem 1. Ep. An tragica deſævit, & ampullatur in arte.

10 *Piſander eouſque timidus fuit, ut proprii corporis umbram fugeret.*

1 Epeo timidior. *inter adagia eſt. non crediderim dictum de Epeo Trojani equi artifice: ſed de alio ejuſdem nominis.*

2 *Timida, ut ſunt lepores pavidiſſimi.*

3 *Præclarè Ariſtophanes Plutum, divitiarum Deum, omnia formidantem, nullique fidentem inducit. Res certè admo-*

Immansueta sonos edat si buccina primos,
Pondera fulgentis clypei, pictamque pharetram
Cum jaculis procul abjiciet. non cominus hastâ,
Non gladio, sed 4 calceolis res tota citatis
Hæc agitur: per dumosos fugit alite planta
Silvarum flexus, & agrorum devia: factum
5 Mercurium de Marte putes. nemoralibus umbris
Non se capreoli citiùs, damæque recondunt,
Cum tecta nigros saltus indagine cingit
Venator, latoque jacit venabula ferro.
Dic age, 6 Bellipotens; ferro lorica rigenti
Cur tibi pectus obit? cur protegit æreus umbo?
Nam quòd tela geras arcusque, gravemque bipennim
Attollas humero, 7 quò tendas, assequor. amnes
Tingere cæde nova, cæsisque attollere montes
Hostibus, 8 ossifragæ properas prurigine laudis.
Funera anhelanti sed, posco, recentia semper
Quid præstat thorax, ferro squamosus & auro?
Quid circa clypeum taurorum tergora septem?
9 Quid præstat? propriæ tutamina fida saluti
Non quæram? firmis cautè custodit in armis
Se primùm miles: mediis in cædibus hostem
Quærere, posterior cura est, & tendere contra.

dum solicita sunt divitiæ; cum paupertas in utramque aurem secura dormiat.

4 *Fugâ scilicet.*

5 *Qui alatos habet pedes.*

6 *Mars armis potens.*

7 *Quo fine id facias.*

8 Ossifragæ laudis. *idest laude, multos fracturâ ossium debilitandi.* ossifragum *dixit* Senec. *6.* Controvers.

9 *Martis responsio ad interrogationem.*

Non [10] ignarus eram. sed qui [1] subsellia Divûm
Prima tenes, hominum pugnas & tela tremiscis?
Corpora Cælituum tangi mortalibus armis
Posse rear? [2] gressus sed cur avertis & ora?
Cur turbata tibi mens protinus? oraque terræ
Sparsa rubore refers, dejectaque lumina? [3] vah! vah!
Nunc memini, prudens quod de te scripsit [4] Homerus;
Vulnera nunc repeto, virides quæ sæva tulisti
Ad Xanthi ripas, Ætolæ & cuspidis ictus.
Illud nunc etiam subiit, devincta tenerent
Cum tua [5] Aloidæ ferratis pectora vinclis,
Et pondus longæ traheres post terga catenæ.
[6] Æmonii fratres sed cum per colla manusque
Injicerent laqueos, cur tu non protinus illos
Difflasti? tantus si te stupor obsidet, hæres

10 *Iterum resumit Author.*

1 Subsellia *in foro erant, ubi Judices sedebant; in Curia, ubi Senatores; in Theatro, ubi populus. hinc* homo imi subsellii, *nimirum vulgaris, & vilis.* Plaut. Cap. nihil morantur jam Lacones imi subsellii viros Plagipatidas. *hic per usurpationem Deorum curiam notant.*

2 *Fingit Author, Martem ultimis verbis vehementer commoveri, & rubore suffundi; utique conscium sibi vulneris à Diomede accepti in bello Trojano.*

3 Vah! *interjectio exultantis.* Plaut. Bacchid. Vah! Salus mea, servasti me.

4 *Homerus in Iliade Martem Diomedis armis saucium, à pugna digressum, & à Pæone curatum memorat.* Ætolæ cuspidis, *Diomedeæ scilicet; nam Diomedes in Ætolia regnum obtinuit.*

5 *Othos, & Ephialtes, Aloei filii, Martem vinculis alligatum menses tredecim in Arcadia tenuerunt.* Vide Arnob. l. 4.

6 *Othos, & Ephialtes Thessali,* Æmonii, *ab Æmo monte dicti.*

Si tantùm, vel tu vidisti prælia nunquam,
Vel tibi vaginâ qui conditur ensis, hebescit
Ligneus; Ismaria qualem Mustaphus in aula,
Vulgavit chartis verum si fama, [7] gerebat.
Militiæ nomen (nam nil, quod nomina præter
Illi Mustaphus promittere posset, habebat)
Militiæ nomen dederat Mustaphus. [8] Avinos,
Ruggerios semper, Sansonettosque solebat
Ille loqui, [9] Ganique dolos, fortemque Rinaldum,
Et quotquot bellique Duces, pugnæque ciendæ
Artifices habuit proles Augusta [10] Pipini.
Si verbis foret ulla fides, non segniter illum
[1] Arturo credas, aut Pandragone creatum.
Sed qui bellicrepo volvebat ab ore minarum
Tot folles, equitumque neces & bella sonabat,
Cervus erat: qualis lepida [2] Cervantis Iberi

7 *Historiolam militis ligneum gerentis gladium narrare aggreditur.*

8 *De Avino, Ruggerio, & Sansonetto multa habes apud Ludovicum Areostum, & alios.*

9 *Gani Moguntini insidias, præsertim in Rinaldum, prolixè narrant Italici Fabulatores.*

10 *Carolus Magnus, Pipini Galliarum Regis filius: cujus tempore res bellica, & eximii armis Duces summâ gloriâ floruerunt. eorum temporum facinora militaria, & Heroes, multis fabularum laciniis attollunt Vates Italici.*

1 *De Arturo, & Pandragone, magnæ Britanniæ Regibus, satis multa fabulantur Poetæ nostrates. Si quid compertius desideras, consule Epistolam nuncupatoriam Henrico II. Galliarum Regi, quam Aloysius Alamannus præfixit* Gironi.

2 *Michael Cervantes Savedra, Hispanus, summo ingenio, parique festivitate scripsit de gestis gloriosi, simulque pavidissimi Equitis, Domini Chicotii. vulgo* Don Quixote de la Mancha. *nihil illo opere salsius, lectuque jucundius.*

Dictus in Historia, Mauris qui notus & Indis,
A toto cupidè legitur Chlcotius Orbe.
Occulto belli socius præsenserat astu,
Mustaphum agresti ligno, summâque dolatum
[3] Asciolâ gladium vaginæ carcere cæco
Claudere. compertam nec rem cælare sodales
Undique [4] rimosus potuit. quò crassiùs illi
Ridebant intus, tot tradita millia letho
Cum [5] Thraso, tot pugnas, tot fusos diceret hostes,
Atque nova gladium semper de cæde tepentem.
Exerat ut sæva metuendum cuspide ferrum
Sæpe rogant, de more solent utque arma ferentes,
Explorent inter se acies, monstrentque vicissim.
Exorare hominem, non, fandi copia, [6] Pitho
Ipsa queat; custos lateri fidissimus hæret;
Sessitet, incedat, dormitet, potitet; [7] illic
Defixus perstat, minimum nec prosilit unguem.
Ergo [8] pensiculant primùm, studioque requirunt
Collato Socii, si qua ratione coactum

3 *Ascia, Fabri materiarii instrumentum ad ligna dolanda.* summâ asciolâ *dixit, ut summis digitis dicitur; ruditer, brevique manu dolatum intellige.*

4 *Secreti non retinens. quo sensu dixit* Teren. Eun. 1. 2. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

5 Thraso, *Miles gloriosus apud Terentium.*

6 *Inter adagia recensetur.* Isthuc ne Pitho quidem persuaserit. *Est autem* Pitho *flexanima illa dicendi præses, quam Ennius suadam, Horatius suadelam latinè dixerunt.*

7 *Lateri, & quidem in omne tempus vaginâ conditus.*

8 A pendo, *quod est, pondero, vel examino, frequentativa usitata sunt, penso, & pensito. Gellius* pensiculare *etiam dixit. Idem* pensiculatè *fieri dixit, quod fit cum pondere, justoque examine.*

Mustaphum possint illuc perducere, ut ensem
Proferat invitus, jucundaque fabula fiat.
Agminis armigeri Ductor (rem conscius omnem
Noverat ille priùs; nactusque accommoda fraudi
Tempora, [9] consuerat fallaces ordine [10] technas)
Imperat acciri cunctos ad signa maniplos.
Convenere. manus sua tunc post terga revinctum
Ruricolam rapit in medios; & ab aggere celso
Incipit hæc, iram vultu simulante, [1] strategus.
Hunc vos prædonem infandum, lætumque rapinis,
Ut præscripta jubent castrensia, dedite letho
Ultores socii. properato tendat ad Orcum
Funere quòque magis, vestrûm qui promptior armis,
[2] Autolyci genus obtruncet, Sponsumque [3] Savernæ.
Hæc fatus, ducit galeata ter agmina circum
Ardentes oculos, viso quos denique sistens
Mustaphi vultu; Quin tu, fortissime, dixit,

9 Consuere technas *dixit, dolum componere, vel instruere; Metaphora à sarcinatoribus ducta*. Plaut. Amph. advenisti, audaciæ columen, consutis dolis.

10 Technam *latinè imposturam interpreteris.* Terent. Eun. tam scio hanc technam à Parmenione profectam, quàm me vivere.

1 Strategus. *Latinè, Dux exercitus; inde* strategemata. *etiam metaphoricè dixit* Plaut. Stich. Strategum te facio huic convivio.

2 *Villicum prædonem*. Autolycus, *fur insignis fuit de quo* Martial. 8. Non fuit Autolyci tam piceata manus.

3 Lavernam *Deam Romani coluere. sub hujus tutela fures erant, qui inde* Laverniones *dicti*. Horat. Ep.1. pulchra Laverna, da mihi fallere. *Ubi* Acro *Lavernam à Lavando dictam censet: nam fures lavatores dicebantur. adjuvat conjecturam* Plaut. Asin.1.11. elavi bonis: *idest, bonis privatus sum. vide* Voss. Ethymol.

Exere

Exere fulmineum gladium ; pendentia [4] colla
Percute, & hanc terram demitte in Tartara pestem.
Non aliter Miles, subito quàm fulminis ictu,
Diriguit Ducis imperio, veniamque precatur.
Non sibi corda [5] satis, non firmas pectore vires
Ad crudele ministerium. perrumpere turmas
Hostiles jubeat, munitos scandere muros;
Tunc cernet, validis quantum sit robur in armis.
Continuò ad tristes miserorum ægrescere casus
Corda sibi; miseranda Rei non supplicis ora
Posse pati, lacrimas non mœsta per ora fluentes.
Hæc rogitat frustra: nam [6] turdo surdior ille
Instat, & obsequium, [7] castrorum jure, reposcit.
Ergo ubi distringunt hominem durissima [8] Manlj
Imperia, [9] obtortoque jubent accedere collo;
Postquam nec præsto est qui [10] nuncia lætâ reportet
[1] Mercurius, longo demissus fune nec ullus

4 *Producti Rei commentitii, & fabulam juvantis.*
5 *Supple*, suppetere.
6 *Zenodotus surditatem loquacitati parem turdo adscribit.*
7 *Optimi quique Duces præcipuam in castris obedientiam à Militibus expetiverunt, eamque inusitatæ severitatis documentis non dubitarunt asserere.*
8 *Titus Manlius filium, quòd paternam præscriptionem non veritus, cum hoste, licet ingenti parta victoria, dimicasset, ad palum deligari, virgis cædi, ac postremo securi feriri jussit: Hinc proverbium*, Imperia Manliana, *dura, & rigidissima.*
9 *Obtorto collo aliquid agunt, qui volentes nolentes ad aliquid adiguntur. non est absimile:* Naribus trahi, mento trahi.
10 Nuncius, *etiam pro eo, quod nunciatur, usitatiùs dicitur. adhuc tamen nuncium in neutro genere dixit* Catul. in Beren. geminas Deorum ad aures nova nuncia referens.
1 *Qui Jovis est nuncius,*

Descendit de nube [2] Deus, spesque una salutis
Ipse sibi superest, rebus succurrit in arctis
Extremos versare dolos: nam [3] dextera quantùm
Torpet iners, promptæ tanta est solertia mentis.
Progreditur, mediamque nihil turbatus arenam
Occupat, inque Rei conspectu substitit ipso;
Cumque oculis geminas tollens ad sidera palmas,
Talia voce refert. Arabum si pectore puro
Dona tuis, [4] Maomete Pater, libavimus aris,
Parce Reo; laqueis nexos exolve lacertos,
Et servare velis forsan nil tale merentem.
Hunc saltem indomitū,Chalybum fœtumque metallis
(Ad capulum retulitque manus) in fragmina mille
Comminuas gladium; vaginâ ductus eburnâ
Vel fulgore sinas non explendescat aheno,
Ut solet; arentis ligni sed vilia monstret
Pondera. sic fatus denudat protinus ensem
[5] Fagineum. Stupet ille; simul, Portenta [6] Maconis,
Portenta, ò Socii, non unquam cognita! clamat.
Militis ingenium miratur, ridet acernum
Turba simul gladium. fraudes inventaque laudat
Callida. Mustaphi viso sic ense recedit
Concio; plaudentesque dedit dimissa cachinnos.

2 *In plerisque veterum Tragœdiarum Deus aliquis è sublimi per Machinam immittebatur, qui fabulæ nodum solveret, eique finem imponeret. Hinc parœmia.* Deus per Machinam: *De iis dicitur, quibus, in rebus perplexis, ex insperato aliquid oritur, quod salutem afferat, & difficultatem expediat.*

3 *Mustaphi Militis. qui pavidissimus quidem, sed acri erat promptoque ingenio.*

4 *Maometes, humani generis labes, & dedecus, à Turcis in altissimo honoris, sacrique Vatis gradu collocatus.*

5 *Ligneum, e fagino.*

6 *Maometi. qui etiam Macon vocatur à Turcis.*



SATYRA II.

Ejusdem Argumenti.

ARGUMENTUM.



Eorum Ethnicorum multitudinem, & nequitiam generatim exprobrat. Jovis Regnum in alios Deos irridet. Momus apud Jovem Diagoram defendit, qui nullos esse dicebat Deos, quos Græcia colebat. Jovis desidia, qui templum suum Capitolinum à flammis vindicare non potuit. Attila Hunnorum Rex ab Urbe vastanda S. Leonis Pontificis verbis, & S. Petri Apostolorum Principis jussu deterretur.

ALlia, lenticulas, cepas non sola veretur
1 Ægyptus. regnant grave olentia Numina, regnant,
2 A serpentigenis Garamantibus ad glaciales

1 *De superstitioso rerum vilissimarum cultu apud Ægyptios, vide inter alios* Cicer. Tusc. V.
2 Garamantes. *Libyę Populi, inter serpentes nati, & enutriti.*

[3] Orcadas, à Tanai ad Magalia [4] Troglodytarum.
Quot Cybele [5] turrita Deos [6] effuderit, omnes
Massagetæ norunt, Nasamones, [7] curtus Iapon,
Norunt Presbyteri, quæ nec sunt, [8] Regna Joannis:
Monstrum uteri fuit illa, suem quæ vinceret [9] albam,
Quæ stabiles inventa dedit tibi, Teucria, sedes.
Non fœcunda magis, partu non amplius uno,
Quæ tot, visceribus populosis [10] Belgica Mater
Effudit fœtus, quot Soles computat annus:
Ingens portentum memorat [1] Ludovicus, & addit
Prægrandi digesta simul corpuscula pelvi
(Quæ prima infantes mundant lustramina) sacro,
Optime Pastorum, Guido, te fonte piasse.

3 *Oceani Borealis Insulas, supra Scotiam.*

4 *Æthiopiæ Populi*, magalia, *id est tuguria, & campestres casas incolentes.*

5 *Turris, Deorum Matris coronamentum; vel quòd prima Turrium usum invenerit; vel quòd Midæ Urbis muros capite sublevaverit, ut est in Fabulis.* Ovid. Fast. 4.

6 *Subaudi*, partu.

7 *Japonios brevioris esse staturæ, earum rerum Scriptores docent.*

8 *Vulgo* Prete Gianni, *Cujus Regnum commentitium esse cordatiores existimant. sunt qui illum Æthiopiæ, sunt qui in ea Majoris Scythiæ parte, quæ proxima est Sinis, Regem faciant. Primam in* Joannis, *licet per ω scribatur, exemplo S. Paulini & aliorum, corripuit.*

9 *Quæ triginta fœtus albos eodem partu edidit, auspicium signumque Trojanis novæ condendæ Urbis. Virgil.* 8.

10 *Margarita, Florentii Hollandiæ Comitis Filia, tot Infantes vivos promiscui sexus uno partu in lucem edidit, quot sunt anni dies. eos à Guidone Episcopo sacro fonte ablutos, cum matre simul omnes periisse, traditum est.*

1 *Ludovicus Guicciardinus, in Geographica descriptione Belgii, admirabilis eventus supra memorati Author.*

Consule [2] Bodrandum, Sansonem consule, terrę
Mensores, Orbem doctos arctare tabellis
Quattuor, aut octo, quando est numerosa papyrus.
Hic fortem Hesperiam, Puer, [3] aspice; raucâ sonantē
Hęc Rhodanū Tabula, [4] & Faramūdi Regna coercet;
Hæc Rheni Populos, & flavum Saxona frenat;
Sed geminū hìc pelagus geminâ dum protegit umbrâ,
Italia extendit tragicum generosa [5] cothurnum,
Calcibus Ionias undas & verberat: Afros
Hìc nudos & regna [6] Jubæ, juga Caspia contra
Hìc, durique vides Tigranis [7] Regna: cucurrit
Hùc [8] usque [9] altivolās [10] Vespuccius. Heus, Puer, aude
Nunc, metire oculis, tibi quem donabimus [1] Orbem.

2 *Michael Antonius Bodrandus, & Nicolaus Sanson, illustres in Gallia Geographi.*

3 *Puerum Geographiæ studiosum alloquitur, propositis tabulis Geographicis.*

4 *Faramundus, aliis Waramundus, primus inter Gallicos Reges: alii à Clodoveo eam seriem incipiunt. Vide* Henschenium.

5 *Nota est Italiæ figura, inter superam inferumque mare ad cothurni, sive ocreæ formam excurrentis. Hujus extrema pars pedis Jonio alluitur.*

6 *Juba, Rex Mauritaniæ, Pompejanas partes secutus, victus demum à Cęsare. Africam designat.*

7 *Tigranes, Rex majoris Armeniæ, à Lucullo, & Pompejo victus. Asiam designat.*

8 *Americam designantis gestu juvandum.*

9 Genus altivolantum, *Ennius aves dixit, quòd in altum volarent. hìc per mare tendentem significat, à mari, quod poeticè* altum *dicitur.*

10 *Americus Vespuccius Florentinus Americam ingressus suo illam nomine insignivit.*

1 *Papyraceum scilicet.*

Si catus invenias urbem, vicum, oppida, pagum,
Particulam terræ, quæ cesset prodere Numen,
Polliceor nasum Tonsori. tanta Deorum
Subrepsit scabies, sibi [2] iniquis partibus ex quo
Divisere Orbem Saturni filioli [3] tres.
Hic Fauno lucus sacer est, hæc ara Dianæ,
Intonsus tenet hanc [4] Latous: deprime frontem
Ad talos; Libycos hic Pallas porrigit [5] angues.
Populus Alcidæ, quercus præsaga Tonanti
Militat, insano vites ederæque Lyæo,
Laurus [6] Acersecomæ; & nulli sine Numine trunci.
Pellio, Piscator, [7] Phrygio, [8] Myropola, Lanista
Numina certa colunt: non Carbonarius atros,
Non albos Molitor complet sine Numine saccos.
Vinitor, & duro vertit qui vomere terram,
Novit quas primis de frondibus induat aras.
Upilio novit, tardique agitator aselli
Cui [9] corium lustrale tholo suspendat, [10] & hornas
Mactet oves. Pistor, [1] Plastes, [2] Scrutarius, [3] Ustor,

2 *Imparibus, cum nobiliora Jovi contigerint.*
3 *Juppiter, Neptunus, Pluton.*
4 *Apollo, Latonæ Filius.*
5 *Medusam in clypeo Palladis cœlatam.*
6 *Ex Græco. Latinè* intonsus. Phœbum notat.
7 *Acu Pictor.* Plaut. Aulul.
8 *Ex Græco.* Unguentarius.
9 Asininum. *Nobilium ferarum pelles Deorum Templis suspendere, moris erat. hic per jocum mos ille ad Asininam pellem traducitur.*
10 Hornum, *sive* hornotinum, *quod est hujus, vel unius anni.*
1 *Qui figlinam exercet.* Figulus.
2 *Qui vilissima quæque venalia habet. idem quod* Veteramentarius.
3 *Qui corpora in bustis cremabat.*

Portitor, [4] Encaustes, & cum Fusore Politor
Quæ [5] genua egregiè callent, quę marmora prensent.
Certũ habet Aulœdus, Fidicen, Citharista, Choraules
[6] Cui scalpit chordas, & pectine tinnit eburno.
Sed nihil innumeras opus est censere tabernas.
Non tot araneolos trabibus, segnesque grabatis
Tot tibi non acies cimicum, quot Numina prodet
Obvia quæque domus. suus est clavique feræque,
[7] Pistillo, furnoque Deus. fœnile, macellum,
Peniculus, guttus, cribrum, caldaria certum
Numen habent. quid opus [8] Grapaldũ excurrere totũ?
Quæ secreta domûs invitus quisque requirit,
Hesternâ gravior cœnâ, properèque relinquit,
Hic stabiles sedes turpi Dea nomine dicta
Erigit; hoc regnum fertur magis omnibus [9] unum,
Posthabitâ coluisse [10] Sabâ: spectabile figens
His solium latebris, Arabum non illa beatos
Suffitus curat, non quod parit India [1] costum.

4 *Pictor ignem adhibens, firmandis coloribus.*
5 *Subaudi* Deorũ. *item* Marmora; *Deorum statuas intellige.*
6 *In cujus Numinis, artis suæ Patroni, honorem, sonos edat.* Aulœdus: *latinè, qui tibiis canit.* Choraules, *qui in choro inflat fistulas.*
7 Pistillum. *quo in mortario quid tundimus.* Peniculus. *instrumentum detersorium.* Guttus. *vasis genus, angusto collo, oleo servando.*
8 *Franciscus Marius Grapaldus Volumen edidit* de Partibus Ædium.
9 *Ad rem turpiculam transfert Virgilianum illud, de Junone & Carthagine.* Quam Juno fertur terris magis omnibus unam, posthabita coluisse Samo.
10 Saba; *Urbs Arabiæ Felicis, unde Sabæi.*
1 *Herba, odore eximio. laudatissima est, quæ in Perside nascitur.*

Sunt etiam sua Numina montibus, & speluncis,
Et fluviis, quorum numerum si & nomina queras,
Promptiùs expediam, cœnâ quot Pandarus unâ
Siccarit cyathos, quot fert annona Poetas
Ista malos; aut quot circum ilia [2] Brancadori
Octipedes saliunt [3] vermes, modo Tusca [4] Seriphus
Quem domat, [5] a Furiis, Porcisque Latronibus ortũ.
Austero hic [6] Plancus, vel Curio tetricus ore,
Aut alius scelerum vindex, morumque magister,
Rugosam tendat, quantum canis Appula, sannam,
Obliquetque oculos [7] Auruncæ felle natantes,
Meque petat cornu. [8] Misces, [9] Aretaloge, misces
Carminis indocti integro solidoque [10] deunci
Unciolam veri; ut mendax tibi cedere possit

2 *Taxat nefarium nebulonem, qui mentito nomine Marchionis Brancadori, furtis, multâque morum corruptelâ perditus, demum Volaterras in carcerem est abreptus.*

3 *Cum bona aurium venia pediculos intellige.*

4 *Volaterræ, oppidum in Etruria.* Seriphum Tuscam *dicit, quòd Seriphos, Insula in Mari Ægeo, celebris erat exiliis, & custodia nobilium Romanorum.* Juven. Satyr. *6.*

5 *Nebuloni supra memorato accommodat Romana nomina Furii, & Porcii Latronis; quibus infimi hominis, nobilitatem affectantis, furta & vitiorum sordes notantur. De Porcio Latrone viro Eloquentissimo vide* Senec. in Suasoriis.

6 *Lucius Munatius Plancus, Censor Romæ fuit. Curio etiam excellenter in Censura se gessit.*

7 Aurunca, *Colonia Campaniæ, Lucilii Poetæ Satyrici Patria.* Auruncæ fel, *intellige acrimoniam, & vim Satyricam.*

8 *Oppositoris cujuspiam sunt verba.*

9 Aretalogus. *latinè loquax virtutis ostentator.*

10 Deunx. *mensura undecim unciarum. quasi demptâ unciâ ab asse.*

[1] Primaleon,[2] Giron, & cum[3] Morgante[4] Ciriffus,
Et qui Francigenûm[5] Turpinus prælia narrat.
Plures Atlantis caput insedisse[6] Deos, quàm
[7] Vambladus caligas habet, aut crepidas[8] Rafanellus,
Chrysippi bene cautus[9] acervo colligis, illud
Mendosè, & scuticâ dignùm[10] Chironis, olere
Omnes allia, cepe; Deos, quos sola veretur
Ægyptus, clames contrarius usque licebit,
Et tumeas, quantum Æsopi[1] ranunculus. Esto
Adducat[2] nares Siculæ nidore culinæ
Mulciber; esto Pales, Silvanus, corniger & Pan

1 *Italicum est Poema Ludovici Dulcii.*

2 *Item Italicum Poema Aloysii Alamanni.*

3 *Celeberrimum Poema Italicum Aloysii Pulcii.*

4 Ciriffus Calvaneus. *Poema est Italicum, cujus primi libri Autor est Lucas Pulciits, reliquorum Bernardus Giambularius.*

5 *Turpino, Remensi Archiepiscopo, adscribitur Historia de Vita Caroli Magni, & Rolandi; vulgo,* Orlandi.

6 *Qui scilicet Cælum colunt, quod Atlantis humeris sustinetur.*

7 *Vestiarius Collegii Romani.*

8 *Sutor Collegii Romani.*

9 Acervus; *argumenti genus, quod Chrysippus frequenter usurpabat. Græci* soritas, *Latini* argumentationes acervales *vocant, ut docet* Cicero 2. de Divin. *fit autem* acervus, *cum gradatim interrogamus, & coacto quodam quasi acervo propositionum concessarum, aliud ex inopinato, sed necessariò concludimus.*

10 *Chiron, Achillis Magister. hìc pro quolibet Pædagogo sumitur.*

1 *Nota est fabula de rana, quę ut bovis æquaret magnitudinem, inflato præter modum corpore, disrupta est.*

2 *Nauseam & fastidium adductis naribus, & corrugatis indicamus.*

Aut hircum sapiant, aut id, quod dicere nolo;
Sunt alii, quos olfacias impunè; liquatas
Nam sapiunt myrthos, [3] & pulvinaria, Thusci
[4] Æsaridæ quæ concisis radicibus opplent,
Purpurea & mittunt Italis ornamina mensis.
Elicitum omnigeni floris, mistumque [5] cremorem
Expirat latè Titan, & totus in udo est,
Crines [6] Seplasiâ madidus, [7] Cyproque minuta;
Expuerit si ter, surgent violæque, rosæque.
Non puer [8] Iliacus nardo tergere Tonantem,
Non Martē, non Martem ipsum cessat Venus. [9] Audis?
Audis ista Titi [10] genitor; nec labra moves, cum
Debueras vel larva loqui? da, maxime, vocem,
Pectore Romano dignam, quam mille Catones,
Quam Curiorum animæ, & Scaurorum tempore natæ
Vellent esse suam. [1] Mallem, [2] cirratule, oleres
Allia. [3] Dii faciles te, Vespasiane, Deæque,
Robustum ob monitum, sapone & pectine donent.

3 *Puluilli Lucenses, odoramentis referti*. Cuscinetti di Lucca.

4 *Lucenses, ab Æsare amne. vulgo*, Serchio.

5 Cremor, *propriè est quod exprimitur ex frugibus aqua maceratis. hìc ad extractos è floribus odores transfertur*.

6 Seplasia; *Capuæ Forum unguentarium*.

7 *Pulvere Cyprio*.

8 *Ganymedes, Trojanus, Jovis à poculis*.

9 *Authoris sunt verba, quibus oppositori respondet, sermonem autem dirigit ad Vespasianum Cæsarem*.

10 *Vespasianus, Titi Pater*.

1 *Verba sunt Vespasiani ad Adolescentulum, qui unguento delibutus ab eodem bellicam Præfecturam petebat*. Sueton. in Vespas.

2 *Comatule. vanissime scilicet. cirri, idem quod crines*.

3 *Poeta gratias agit Vespasiano de pulcberrimo effato: inte-*

Hic mihi nunc aliquis Gnidiû objectare [4] Puellû
Audeat, aut Matrem prognatam ex æquore, cujus
Sandalium Syriæ felis [5] sudore madescit,
Et calthæ lacrimis, citriæque aspergine lymphæ?
Nempe quid hoc? Paphios si turpiùs inter odores
Cypris, & aligerûm fœtet [6] Coryphæus Amorum.
Malobathrû,balanû,myrrhã, [7] synchrismata,& omnes
Hinc apage urceolos; quid tot pigmenta recenses?
Allia, [8] Pontificem non audis? allia mallem.

Nunc age, nodosum tribuas mihi, Musa, flagellum,
Funiculis nexum, quibus atrox [9] sannio, mollem
Natus ad [10] Euphratem, memori [1] vibice notavit
Cælicolas, multo dentes diducere risu,
Et velare potens festivo seria ludo.

Cui primùm scapulas,lumbosque [2] exosso Deorum?

rim verò ejus sordes taxat. constat autem, Vespasianum nullo corporis ornatu, incultu potiùs & negligentia quadam fuisse delectatum.

4 *Cupidinem bene olentem.*

5 *Ex fele Syria, vulgo* Zibetto, *extrahitur pretiosum odoramenti genus.* Sandalium. *Muliebre calceamentum.*

6 Coryphæus. *Latine, alicujus Ordinis caput.*

7 *Ex Græco. Unguentorum commistio.*

8 *Vespasianum Cæsarem, eumdemque Pontificem Maximum.*

9 *A narium sonitu. qui nimio opere alios irridet.*

10 *Lucianus, Samosatæ in Urbe ad Euphratem sita natus, impius Desertor, & meritissimâ censurâ confixus, atque proscriptus: sed in simili argumento versatus, fabulosæ antiquitatis Deos miro lepore per jocum traduxit in Dialogis.*

1 Vibex. *accepti verberis signum.* Tergum subjiciam culcitam vibicibus. Plaut. Mostel.

2 Exossare. *ossa detrahere.* Plaut. Men. Hunc senem exossabo.

[3] Ab Jove principium sit, Musę; quando Maroni
Sic placitum, cum lentus adhuc sub tegmine fagi
Sterteret, aut teneros Galli cantaret [4] amores,
Non dum ausus sobolem Anchisæ deducere [5] lippi,
Et primas serere Exquiliarum in vertice [6] ficus.
De Jove quid sentis? primùm, Jovis omnia [7] plena.
Verùm Argis Juno, victis [8] Semeleius Indis
Imperat; assurgit Veneri non mascula Cyprus;
Thracia sed Marti paret, laqueumque Tonanti
Non dubitat mandare: Jovis tamen omnia [9] plena.
Sed viridis taxo Phlegeton, Dictæaque torvi
Urna [10] senis, raptæque chaos dotale [1] maritæ,
Et nemus Elysium, inque homines longissima Regna
Plutoni cessere: Jovis tamen omnia plena.
Sed mare velivolum, mutumque sub æquore vulgus,

3 Ab Jove principium, Musæ: Jovis omnia plena. *Virgilii est versus* Eclog. 3.

4 *Circumlocutio ad Virgilii libros Bucolicorum designandos.* Galli amores. *Vide Virgil.* Eclog. 10.

5 Lippi *dicuntur, qui oculos lacrimis & putredine vitiosos habent. quo morbo laborare solent senes, ut erat Anchises.*

6 Primas ficus *per jocum dixit initia Albanæ, & deinceps Romanæ magnitudinis ab Ænea posita in Latio. sensus est. sumendum à Jove principium, ut monuit Virgilius in Bucolicis, antequam Epicum Æneidos Carmen aggrederetur.*

7 *Pars altera versus Virgiliani supra signati.* A Jove principium, Musæ: Jovis omnia plena.

8 *Bacchus, Semeles Filius.*

9 *Ironicè dictum accipe.*

10 *Minois Regis Cretæ, ubi Dicte Civitas, qui apud Inferos Judicem agit.*

1 *Proserpinæ, à Plutone raptæ.* longissima regna *dixit Plutonis: per oppositionem ad Reges, quorum in terra breve est in homines Regnum.*

Stagnaque, campivagosque tridentifer occupat amnes
[2] Despota Neptunus: Jovis attamen omnia plena.
Quidquid ubique natat, mulli, peregrina [3] lagois,
Et scarus, & rhombi, & maculis murena coruscis
Neptuni in ventrem descendunt. ostrea nudat
[4] Phyllodoce, patulis dum fercula Cymodocæa
Concinnat [5] conchis; Clymene succincta salini
Imbrem mordentem, & rugosum lancibus unctis
Irrorat piper, annosæ neque parcit [6] olivæ.
Interea conviva beatulus ille saginâ
Tenditur, & dentem generosis frangit [7] echinis.
O felix! rhombos qui semper, & ostrea cœnat.
Juppiter hæc inter, nutu qui sidera torquet
Juppiter, ille inquam, ille [8] πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Ut bellè cœnat? Persarum more [9] vetusto,
Aridulum ad panem [10] nasturtia sobrius addit:

2 *Latinè* Dominus.

3 *Genus piscis, quod in Italo mari non capitur.*

4 *Maris Nympha, qualis Cymodocæa, & Clymene, de quibus infra.* Virg. Geor. 4.

5 Conchæ, *pisces testacei dicuntur. hic adhibentur pro ipsis latioribus testis, quibus pro patinis utebantur Nymphæ, ut Neptuno edulia ministrarent.*

6 *Oleo scilicet.* Salini imbrem mordentem. *Sal inspersum epulis Neptuni.*

7 Echinus, *proprie spinosum est castanearum involucrum. piscem etiam ex cancrorum genere castanearum integumentis simillimum significat, de quo* Mart. Cortice deposito mollis echinus erit.

8 *Homeri sunt Verba. quæ Virgilius reddidit,* Hominum sator, atque Deorum. Ænei. 1.

9 *Vide* Xenoph. de Pæd. l. 1. *ubi multa de sobrio Persarum victu.*

10 *Herba hortensis, ita dicta quod nasum torqueat.* Varro.

Sed cum festa dies indixit [1] Olympia, lautè
Res agitur: tunc [2] agninâ, farrisque minuti
Cerbereas stomachi solatur pulte querelas.
Nam quæ nectarei jactat miracula succi,
Credite [3] Trojugenæ, [4] Brotiæ vix [5] smegmata vappæ,
Aut fatui fæcem pannosam æquare [6] Quaracchi.
Sed quòd solus habet trifidæ jus fasque sagittæ,
Quòd tonat, at [7] magnū est; Autumno & possit in uno
Fumantis [8] Liparæ nigros lassare caminos.
Anne parum reputas, minima & mercede petendum,
Quòd multo armatum [9] Cyclope, & sulphure crudo
Nocturni trepidant fures, expungere spondent
Et qui supremis Hæredum nomina [10] ceris,
Et quotquot vitiis mens conscia verbere surdo
Pulsat, anhelantes glacies cum [1] frigida lumbos
Permeat, & stantes suspendit culpa capillos?

sensus est. dum opiparè cœnat Neptunus, Juppiter agit ferias esuriales.

1 *Ludi apud Pisam, & Elidem, in honorem Jovis.*

2 *Supple, carne.*

3 *Romani, à Trojanis oriundi.*

4 Brotium, *vicus inter Florentiam, & Pistorium; ubi demissioris loci situ, & crebris Arni alluvionibus, deterioris notæ vites nascuntur; cum cæteroqui vina Etrusca constet esse præstantissima.*

5 *Smegma Græci dicunt quidquid est dilutum, & detersorium.* vappa. *vinum cujus vis omnis evanuit.*

6 *Quaracchum, vicus prope Brotium, de quo Vide supra.*

7 *Per occupationem dictum intellige.*

8 *Lipara, una ex Æoliis Insulis, Vulcani Officina.*

9 *Telis Cyclopum.*

10 *Tabulis testamentariis.*

1 *Pavor, qui terrere solet animos sibi pravorum operum conscios.*

[2] Gloria nempe ingens, & digna Poemate Tusco
[3] Asturis insulsi, proscindere nubila bombo
Quod queat, & manibus Fabri non parcere [4] claudi,
Cætera jejunus, fossor, caprimulgus, agaso,
Nil nisi fulmineus. Phaleras depone jubasque;
Dejice, quæ stricto surgunt à fulgure, cristas,
Nominis & vani [5] tectoria: posco quid ipso
De Jove sit tandem reliquum? nempe Alpha [6] Deorũ
[7] Pasquillo par exit, Aloisiove [8] togato.

[9] Hoc quoque, castigas qui nequiter acta, petenti
[10] Responde (nigros dum radit Jupiter [1] ungues
Forficulâ, & tetras excalpit cuspide sordes,
Postulat hæc Momum) cur, ex quo sæpius audit
Græcia [2] Diagoram, nobis altaria languent
Frigida, ceu Priami [3] pulmo, legesque [4] Platonis?

2 *Responsio Authoris Ironica ad Superiorem occupationem.*
3 *Scias nomen esse fictitium.*
4 *Vulcani.*
5 Tectorium, *idem quod albarium, parietum incrustatio, quæ fit calce, vel gypso. metaphoricè titulos inanes, ut hìc Jovem Tonantem significat.*
6 *Juppiter, Cælitum primus, ut Alpha inter Græcas literas.*
7 *Urbis statua celebris, eaque vetustissima; sed multis partibus mutila, & deformata.*
8 *Alia item Urbis statua: vulgo*, l'Abbate Luigi.
9 *Verba sunt Jovis alloquentis Momum, qui Deus est summa dicendi libertate. Hunc Luciani locum sibi latius exornandum Author proposuit.*
10 Hoc quoque, Tiresia, præter narrata, petenti Responde. Hor. Ser. 2. Sat. V.
1 *Domestica quadam familiaritate usus cum Momo.*
2 *Qui nullos esse Deos putabat.*
3 *Qui languet in senecta senectute sene, qualis erat Priamus.*
4 *Adagium est. sed cur Platonis leges frigidiusculæ dicerentur*

Olim etenim flammis [5] junicum terga liquebant
Et vituli, nitidi poterant qui margine lardi
Vincere [6] Silenum; Siculo nec melle placentę
Rorantes deerant, & opimo crustula farto.
Sacricolæ exangues nunc vix subtilia colla
Anseris, aut upupam galeata [7] fronte trucidant.
Cæcuba non [8] iterum Torquato condita latis
Delibant pateris, præloque effusa Caleno,
[9] Sed Vejentanum, sed pinguia Surrentina,
Sordidus & multa quæ Najade diluit [10] Ufens.
Postremò jam non viridis verbena, genistæ
Non læti flores, non myrthus, sacra coronat;
Sed positas raphanus foliis mordacibus aras,
Et metuenda nigro vestit [1] spinacia fumo.
Pressiùs ut dicam demum quod sentio; noster

tur, non facile divinarim. an quia minutiora sectantur? an quia ad usum, proximque minimè accommodatæ? sed cur id circo frigidæ? viderint, quibus est otium.

5 Junix, *bos tenera ætate, quasi junior.*

6 Silenus. *Bacchi nutritor, comessator, potatorque strenuus. præpingui, & rubicunda facie.*

7 *Referas ad upupam, quæ cristata est avis.*

8 *Subaudi*, Consule. *Annis consularibus notabantur Dolia, præsertim vini lectioris, cujusmodi erant Cæcubum, & Calenum.* Cæcubum, Cales, *oppida sunt Campaniæ.*

9 Vejentanum, Surrentinum: *vina deterioris notæ. de Vejentano* Hor. Ser. 2. 3. qui Vejentanum festis potare diebus Campana solitus trulla. *Surrentinum Tiberius generosum acetum, C. Cæsar ejus successor nobilem vappam nominabant. de eodem hæc habet* Athen. l. 1. c. 24. Surrentinum vigesimo quinto anno incipit esse potui aptum: quia est pingue, & valde debile, ac vix digeritur.

10 *Fluvius per Pontinas paludes labens.* Multa Najade; *multa aquæ vi; utpote depressis agris, & paludosis.*

1 Spinacia *atram bilem concire dicitur.*

Viluit

Viluit omnis honos. non vitrea fracta, vetusti
Non hodie pes malluvii, non ansula cultri
Vilescit magis, aut imbutum sulphure filum.
Græculus has mihi [2] turbellas concivit [3] ἀμοῦσος
(Me quoque profuerit nam [4] græcissare) per Urbes
Nescio quid Grajas postquam [5] male sanus ineptit.
Quid male diffutis labiis immurmuret ille,
Quidve petant homines, nostri queis cura refrixit,
Tu doceas. [6] Summum cur spectas fronte lacunar?
Cur humeros agitas, exalbescisque repente?
Responde, steriles veri, siccasque [7] cathedras
Qui nosti, [8] archetypos solitus pallere Xenarchos.
[9] Difficilem sortem, Atride, Calchanta reposcis.
Jure equidem, vili cum sim de plebe Deorum,
Pertimeo quidquam contra vos hiscere; jure
Molliculas vereor, teretes & Principis aures.

2 Turbella, *à turba diminutivum. pro commotione*. Scis tu quantas soleam turbellas dare. Plaut.

3 Amusi. *Latine à Musis alieni, inelegantes*.

4 *Græcum Sermonem affectare*.

5 *Diagoras Atheus*.

6 *Cur, Mome (ut eos agere videmus, qui responsionem devitare, & subterfugere satagunt) fornicem spectas, ut otiosus; humeros commoves, ut qui officium detrectant?*

7 Cathedra, *latine sedes. suggestum intellige, quo docere Magistri solent*.

8 Archetypus, *prima cujusque rei figura, & delineatio: latinè, exemplar, forma, modus. Hinc Archetypus adjectivum, pro vetusto, & obsoleto*. Xenarchus, *Peripateticus fuit Philosophus*.

9 *Respondet Momus. rem impense arduam, Juppiter, postulas Momum; ut sæpe scitu difficilia poscebat Calchantem Augurem Agamemnon Dux Græcorum in bello Trojano*. Sortes *dicuntur oracula, sive eorum responsa*. Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem. Virg. 7. Ænei.

Antiquum est, nolis Camarinam [10] tangere, verbum.
Non facile invenias, qui ficus dicere [1] ficus.
Audeat hìc. tectis lana Sidonide muris
Non habitat simplex, & nudo corpore Verum.
[2] Quin tu continuò, positis ambagibus istis,
Ad rem festinas? verbosa proœmia mitte,
[3] Cecropidûm rubrica senum quod præcipit. illud
Mirabar quoque te non adjecisse; pusillas
Esse tibi eloquii vires, non commoda linguæ
Robora; præterea tempus quòd nactus iniquum,
Angustumque nimis venias tot rebus agendis,
Et quæ [4] Donatus Pueris præcepta reliquit.
[5] Ergo quid sit opus facto, sententia surgat
Quæ mihi, deposita aggrediar formidine fari.
Principiò qui Grajugenûm [6] Milesius Urbes

10 Camarina *Oppidum, & ejusdem nominis palus in Sicilia, quam cum, contra Oraculi vocem, Oppidani exsiccassent, per eam ingressi hostes Oppidum diruerunt. Unde adagium.* ne tentes Camarinam. *sensus est. Principis indignatio, tanquam Camarina, non est provocanda.*

1 Dicere ficus ficus, ligonem ligonem, *& his similia, est, rem ipsam nudis verbis dicere.*

2 *Juppiter sermonem excipit; instatque, ut Momus respondeat.*

3 *Areopagitarum, qui ita dicti à Templo Martis in quo judicabant. Athenis sententias dicebant, quæ omnium opinione æquissimæ habebantur. Inter alias leges accusatorem nullum, aut reum uti proœmio sinebant, ut incorrupta essent judicia, nec Judices occuparentur, conciliatâ, ut solet, in exordiis gratiâ.* Cecropidæ, *idest Athenienses, à Cecrope Athenarum Conditore.*

4 *Celebris Rhetor, & Grammaticus, D. Hieronymi Magister, cujus extant commentarii in Terentium, & Virgilium.*

5 *Momus loquitur; & compulsus à Jove, respondet.*

6 *Diagoras Milesius.*

Post sua dicta trahit, curam tibi jure facessit.
Arcanas rerum causas non ille requirit,
Astrorumque vias; de finibus ille [7] bonorum,
De Pulchro [8] Justoque nihil curatque docetque.
Dipnosophistarum [9] cœnas non ille frequentat,
Quæque parat civis convivia [10] Chæroneus.
Non acres sensus, nec acuta cuspide pressum
Torquet [1] apophtegma; tribus ilicet omnia verbis
Expedit, & certo concludit [2] schemate, dum vos
Nullos esse docet, qui sidera celsa tenetis.
[3] Rides? Inachii sed si doctrina Magistri
Invenit emptores, sero cruciabere luctu,
Et demum, qui nunc rides, rideberis. illis
Sed bona pars hominum, dices, non credula nugis,
Nos putat esse aliquid: saltem stridente tonitru
Vellicat immemores quæ Cælo flamma remugit.

7 *De quibus Tullius scripsit.*

8 *De quibus Plato scripsit.*

9 *Quas Athenæus descripsit.* Dipnosophistæ. *Latinè, in cæna disputantes.*

10 *Plutarchus, in oppido Chæronea natus, scripsit Quæstiones Convivales.*

1 Apophtegma, *est breve dictum, moribus, vitæque instituendæ accommodatum: hoc autem differt à sententia, quòd apophtegmata sunt Principum, Ducum, & illustrium dumtaxat Virorum: cujusmodi multa Catonem collegisse, author est* Tullius 1. Offic.

2 Schemata *ita interpretatur* Cicero de Clar. Orator. erant autem & Verborum, & sententiarum illa lumina, quæ vocant Græci Schemata, quibus tanquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis Oratio.

3 *Non est, Juppiter, quod rideas, tanquam nimis absurda, quæ de Diagora tibi narro.* Inachius Magister, *Diagoras.*

Nam qui distractis reboantem nubibus ignem
Non audit, [4] Scillæ non est quod porrigat aurem,
Et deridendo viscosam tergeat [5] auro.
Non temere objectas: hìc non assentio tantùm,
Verùm discedo pedibus, [6] manibusque. sed istud
Deterius multo est; si, quos regnare fatentur,
Illos flagitiis, turpisque ærugine vitæ
Fœdè degeneres cernunt per devia ferri.
Huc referas, [7] vietùm quod spiret thurea virga,
Raraque fumosis niteant donaria Templis.
Lætitiæ Pater ille, jugum qui Tigribus [8] aptat,
Dic age, cum thyrso nequeat, neque parcere pugnis,
Massica si quando merserunt pocula mentem,
Incaluitque mero cerebrum: cum saxa trahentem
Bassarides [9] sociæ misero dent Orphea letho;

4 *Joannes Scilla, ornatissimis moribus, & singulari doctrina Collegii Romani Medicus, quem Author honoris gratia nominat. sensus est. qui resonans fulmen non audit, aurem tanquam vitiatam frustra Medico ostendit; nam plane surdus est.*

5 *Aureo Auriscalpio.*

6 In sententiam alicujus pedibus, manibus, toto corpore ire, vel discedere, *est cupide admodum, & festinanter assentiri. translatum à veteri consuetudine, qua sententiam rogati, continuò, relictis sedibus, in aliquam partem simul procedebant, quòd erat expeditioris suffragii genus. porrectis item manibus, & totius corporis commotione significabant arridere sibi sententiam.* Vid. Liv. Dec. 1. l. 7.

7 Vietum *dicimus, languidum quidquid, & sine ullo vigore.* Hic est vetus, vietus, veternosus senex. Teren. *Sensus est. Ad hæc Deorum vitia hominibus nota referas sacrificiorum incuriam, nostrique contemptum.*

8 *Bacchus à Tigribus vectus.*

9 *Bacchæ, sive Bacchantes, Bacchi pedissequæ, quæ Orpheum interemerunt.*

Membraque certatim cædant innoxia Vatis,
Eumenides cujus non ausæ tangere [10] barbam;
[1] Orgya ne stupeas si post [2] trieterica frigent,
Sacraque pinguescunt nullis [3] Nysea canistris.
Mercurius celeri radat cum serica furto
Pallia, in auriculam & si quid tibi garrit, ab imis
Everrat loculis argenti pondera puri;
Et quò non tandem piceatos inserat ungues?
Quales in Phrygios habuit jejuna [4] Celeno,
Aut quales fures inter scitissimus Argon,
Ipsum Carnifici laqueum rapuisse peritus,
Lignea dum scandit [5] Capitolia; vela nec obstant
Ante [6] oculos; tanta est digitis fiducia solis.
Audeat ista palam cum callidus [7] Ἀργειφόντης
Convectet cum mane novas, cum vespere prædas,
Tune putas quemquam tam crassis naribus, illum
Qui colat, & quidquam putet [8] exorare Latronem?
Cum, tribus [9] Anticyris curari dignus, acutâ

10 *Cum Bacchæ trucidaverint Orpheum, cui vel Furiæ pepercerunt, cum Inferos adiit.*

1 *Sacra Liberi. à furore dicta.*

2 *Triennalia, quia tertio quoque anno celebrabantur.*

3 Nysa. *Urbs Arabiæ; altera ejusdem nominis in India. Utraque Baccho sacra.* Canistris pinguescunt, *idest Donariis, quæ canistris delata offerebantur.*

4 *Harpyarum rapacissima, quæ Trojanorum mensas apud Strophades diripuit.* Virg. Ænei. 3.

5 *Locum suspendii, sublatis trabibus excelsum.* Argon. *fictum Furis nomen.*

6 *Rei multis in locis ad patibulum velata fronte ducuntur.*

7 *Mercurius. latinè*, Argicida, *Interfector Argi.*

8 *Orando obtinere.* Sine te hoc exorem. Teren. Heaut.

9 Anticyra, *Insula est Maliaci sinus, in qua optimæ notæ Helleborum nascitur, quod etiam veratrum dicitur, herbæ*

Succinctus frameâ Gradivus obambulet atra
Nocte, velut dubius cornu [10] lucente Satelles;
Nec dubitet costas etiam occurrentis amici
Perfodere, & quatuor misero non linquere dentes;
Nil causæ est, illum cur totis Thracia Templis
Non procul ejiciat, gaudentem & cæde cruenta
Vel flammis perdat, vel [1] Strymone [2] Mirmillonem.
Et quoniam lutea hæc versare [3] piamina cœpi,
Addo, quod [4] Harpocrates nequeat siluisse: tabernâ
Vulcanus Siculâ cum subtilissima cudat,
Non captura scaros, nec, opinor, [5] retia, turdos;
Raptores alii cum sint, fraudumque magistri,
Jam pridem laqueo digni, & Melitense triremi,
Difficile est illos auro incrustare, tabellas
Addere votivas, pinguem & jugulare [6] Hecatomben.
[7] Vera crepas, Mome, & multum mihi cognita: pridẽ
Me Cæli, & Sociorum dispudet; igne trisulco

genus præsentissimam vim habens curandis iis, qui animo parum constant.

10 *Lucente igne ex laterna cornea.* Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris? Plaut. Amphit.

1 Strymone perdat; *demergat aquis Strymonis, qui est Thraciæ Fluvius. Thraces Martem impense colebant.*

2 Mirmillo *alter digladiantium, alter Retiarius dicebatur: hic ad Martem pugnacem transfertur.*

3 Piamen, *seu piamentum, est quo aliquid expiatur. hic pro ipsis sordibus; ut sæpe piaculum pro flagitio.* distulit in seram commissa piacula mortem. Virg. *6.*

4 *Silentii Deus. idem* Sigalion *dictus.*

5 *Tectè, jocosèque innuit fabulam satis notam, & parum pudicam.*

6 *Sacrificium, quo centum boves mactabantur.*

7 *Verba sunt Jovis, abrumpentis Momi sermonem.* Vera crepas, *vera prædicas.* si quid Stertinius veri crepat. Horat.

Quos[8] ego.... Verũ homines cur tẽdũt me quoq; curtis
Vendere [9] Judæis? namque olim Patris in aula
Cum puer imberbis ludebam, nec bene nossem
[10] Bucula quid tauro distaret, laurus olivâ,
Tunc sacras inter mihi verba precantia flammas
Multa dabant homines; segetes fundebat Eoas
[1] Arcula tunc auro radians: attollere fumo
Vix oculos (memini) poteram; se tanta ferebat
In sublime croci nubes, & pinguis amomi.
Nigras juniperi mihi nunc in cespite nudo
Incendunt baccas, & inemptæ segmina rutæ;
Cum tamen ingratus sim nulli, at carus amicis,
At bonus, incoctusque favis præcordia. [2] Verùm,
O bone, nescio quid queritur lex [3] Julia de te.
[4] Furcifer, ista Jovi, cubitale & fulmen habenti
Oggeris? hos animos somno [5] satus? accipe calcem,
Improbule: [6] hic etiam tuus est, hic insuper; illud

8 *Supple*, percutiam, *vel aliquid simile. ut apud* Virg. Æneі. 1. Quos ego. sed motos &c.

9 *Scrutariis, qui vilissima quæque coemunt. sensus est Agnosco equidem, Mome, aliorum Deorum nequitiam. sed cur ego etiam nullo in pretio habeor ab hominibus?*

10 Bucula. *diminutivum à voce* Bos, *parva Bos, ut* Buculus, *parvus bos*.

1 Arcula, *acerra, repositorium thuris*.

2 *Respondet Momus: & Jovem adulterum occultè, sed tamen acriter carpit*.

3 *Lex Julia de Adulteris*.

4 *Juppiter hæc, verbis Momi ad vivum tactus*. Furciferi *dicebantur Servi, qui à Dominis cogebantur transversam humeris furcam ferre, spectante vicinia, quod summum erat infamiæ genus*. Donatus.

5 *Momus, Noctis & Somni filius*.

6 *Calcem alterum intellige. & iterum tertium*.

Pythagoræ ut fiat; numero Deus impare gaudet.
[7] At tu pollicitus, loquerer quæcunque, benignè
Accipere, & dociles aures præbere monenti.
[8] Pollicitus: mentem interea sed pulcher Homeri
Versiculus subiit. [9] Pelide, qualia dices,
Talia reddentur penitùs tibi dicta vicissim.
[10] Cui permissa semel rerum suprema potestas,
Illi nulla fides: post omnia legibus ipsis
Imperitat, Regnique modus fit sola libido:
Libertatis erit summæ pars ultima, victis
Cum populis jus fasque jugo submittere eodem.
[1] Commotis hinc inde animis dum talia jurgant,
In medium tristi, tragicus ceu nuncius, ore
Adveniens litem dirimit [2] Cyllenius omnem,
Deteriora ferens. [3] Ferro perit inclyta Roma;
Sacrilegæ, Pater, involvunt Capitolia flammæ;
Præceps atque tuum ruit alto à culmine Templum.
[4] Mirarer, si læta semel mihi, nate, referres.

7 *Momi expostulatió.*

8 *Respondet expostulanti Momo Juppiter. sensus est. pollicitus quidem fueram sedatè audire; sed Æneæ sententia apud Homerum suadet aliud consilium capere.*

9 *Homeri est hoc hemistichium, & subsequens versiculus, quo Æneas cum Achille congressurus eumdem alloquitur.* Pelides. *Achilles, Pelei filius.*

10 *Momus moratâ sententiâ claudit dialogum.*

1 *Redit iterum sermo ad Authorem, qui narrat Momi allocutionem abruptam interventu Mercurii.*

2 *Mercurius, à Cyllene monte Arcadiæ, in quo nutritus.*

3 *Mercurii sunt verba, Jovi nunciantis, Templum ipsius Capitolinum à Romanis incendi.*

4 *Respondet Juppiter, & omnia tentat, ut Capitolii propugnandi curam, & laborem declinet. primùm molestè accipit nuncium de incendio.*

Sed cur non tanto rerum discrimine, segnes
Accurrunt cives? cur non cava tympana pulsant,
Vicatimque legunt, qui promptas agmine facto
Apportent undas humeris, flammasque repellant?
[5] Nugaris: non alpini Tarpeia saxa
Invadunt [6] Senones, cinguntque hostilibus armis;
Non valida audacis [7] Brenni dant æra sonorem:
Ipsa sacris sed Roma faces penetralibus infert,
Lurconis sequitur dum seditiosa [8] Vitellj
Classica, [9] Flaviaden contra, fortemque Sabinum.
Ergo [10] age, qua polles gratæ dulcedine linguę,
[1] Majugena, infestos animos, plebemque furentem
Demulce, manibus fontes & discute flammas.

5 *Momus docet Jovem, Capitolium non, ut olim, Gallos Senones oppugnare; sed ipsos Romanos incendere. Hoc autem peregerunt Milites Vitelliani. cum etenim Domitianus puer cum parte exercitus, & Sabino patruo, in Capitolium fugisset, Vitelliani Jovis Templum flammis diruerunt. Vide* Xiphil. in Vitellio. Suet. in Domit. Tacit. Hist. l. 3. *Huc respexit Martialis de Domitiano Cæsare loquens.* Sospite quo, gratum credimus esse Jovem. *& iterum.* Prima suo gessit pro Jove bella puer.

6 *Populi ex transalpina Gallia Italiam ingressi Urbem incenderunt, obsederunt Capitolium: sed Capitolium servavit Manlius, dictus inde Capitolinus; Urbis incendium hostium sanguine restinxit Furius Camillus.* Liv. Dec. 1. l. 5.

7 *Senonum Gallorum Ductor.* Liv. ibidem.

8 *Gula, & desidia perditum fuisse Vitellium author est* Suetonius *cum aliis.* lurcones *à* lura *dictos putat* Jul. Scal. *de caus. ling.* 22. luram *veteres utrem dicebant. hinc lurcones, qui cibum in stomachum, tanquam in utrem conjiciunt.*

9 *Domitianum è gente Flavia.*

10 *Rogat Juppiter Mercurium, ut suâ eloquentiâ rem componat.*

1 *Mercurius Majæ Filius.*

[2] Cedunt verba ſago. non audit concita turba
Cauſidicos. [3] Urbis faciem, caſuſque ſiniſtros
Edoceas ipſum ſocio cum Marte Quirinum,
Quorum res agitur: dubiis ſuccurrere rebus,
Feſtinentque ſuam jubeas defendere Romam.
[4] Ajo præmonitos fruſtra: tua jura verentur,
Cujus corripitur Fanum, tabulataque fumant.
Sed mihi quid cauſas dudum tu nectis inanes?
Dum loquimur, convulſa gravem dant templa ruinã.
[5] Deſcendam. verùm priùs hanc perpendere totam
Rem liceat mihi, nate, duas non ampliùs horas:
Feſtina lentè, [6] Delphinus & Anchora clamant.
[7] Nugamenta. moras ignis non ſuſtinet. [8] ergo
Suppetias veniam: liceat ſed cogere ſaltem
Concilium, & cæli Patres audire [9] patratos.
[10] Riſu diffindi poſſem, diffinderet ipſa
Ni rabies me ſæva magis. Dulciſſima [1] proles,

2 *Eloquentiam inter armatos inutilem eſſe, ait Mercurius. reſpicit autem per oppoſitam ſententiam ad illud Ciceronis.* Cedant arma togæ.

3 *Juppiter detrectans officium, aliud comminiſcitur.*

4 *Mercurii Reſponſio.*

5 *Juppiter deliberat, ridenda addita conditione.*

6 *Titus Veſpaſianus antiquum illud*, Feſtina lente, *exprimebat figurâ Delphini anchoram complectentis. quæ fuit poſtea Aldorum teſſera. Vide* Adag.

7 *Mercurius meritò Jovem redarguit.*

8 *Iterum deliberat Juppiter, ſed nugatoriè, ut ſupra.*

9 *Patres dicebantur* patrati, *quòd ad patranda, ſeu peragenda juramenta de fœderibus mitterentur.*

10 *Mercurius loquitur, non iram, non riſum ſatis continens.*

1 *Juppiter fatetur candidè, quare non accurrat depellendis flammis à ſuo Templo Capitolino. condixiſſe enim ſe Junoni*

Cylleni, tecum, quod par eſt, non ego longo
Circuitu verboſus agam. tot nectere cauſas,
Ambageſque moræ varias quid ſuadeat, & quid
Hìc me detineat cunctantem denique, claris
Expediam dictis. hodie, fulgente theatro,
Condixit lætum, fidibuſque inſigne canoris,
Juno [2] Melodrama: arguti mulcedine cantus
Ut rapiar, noſcis. moriar, ſi dulce ſonantis
[3] Sambucæ modulis cogar citharæque carere.
Hæc ait, atque imo ſeſe conclave recondit.
Flammarum volvit dum cæca volumina Clivus,
Nigra triumphati vidit qui terga [4] Jugurthæ,
Juppiter ille tuus digitos, ò Roma, micantes
Fidicinæ laudat, ferit & quas Pſaltria chordas,
Et molli cupidas [5] acroamate proluit aures.
Dum ſua Templa vorat fuſis Vulcanus habenis
Niliacæque ruunt celſa de rupe columnæ;
Ipſa Jovis magni effigies cum fulmine toto
Ante profanatas dum diruta concidit aras;

ad Muſicum Drama ſpectandum.

2 Melodrama. *Fabula muſico concentu ab Hiſtrionibus repręſentata. Opus Dramaticum Muſicum.*

3 Sambuca *Athenæo Inſtrumentum eſt muſicum tetrachordum, à quatuor chordis, quibus intenditur. Vulgo* Violone. *Aliis triquetrum eſt inſtrumentum, multis diſtinctum fidibus, ſed longitudine inæqualibus. Vulgo* Spinetta.

4 *Clivus, ſive Collis Capitolinus, ubi à Mario in triumpho ductus eſt Jugurta, cum inſidiis adortus Adherbalem, & Hyempſalem fratres, amicos populi Romani, Numidiæ Regnum per vim, & injuriam invaſiſſet. Primam in* Fidicinæ *corripit metri neceſſitate.*

5 Acroama. *proprie Auditio. jucundam narrationem plerumque ſignificat.*

Dum cervix, humerique, torosaque colla liquescunt,
Et menti nemus [6] aurati, testudinis ille
Distinguit numeros: tremuli nunc gutturis artem
Miratur, celeresque fugas; nunc cerea flecti,
Quos modò suspendit, modò quos dat lingua recursus,
Suspicit, elatosque modos, tenuesque, gravesque,
Et quot [7] Phonascus variat discrimina vocum.

Inspice nunc, [8] sodes, terrarum maxima Roma,
Cui tollas gemmis auroque nitentia Templa,
Cui credas arcem, quâ terris omnibus unâ
Celsior assurgens populis das jura subactis.
Qui proprias flammis defendere vilibus Ædes
Non potis est, & se spirantem marmore sacro,
Illum posse putet quisquam tua tecta tueri,
Palladiumque [9] Forum,& latos,tua [10] gaudia, Circos?
Æmilium possit paulùm suspendere [1] pontem,
Si ruat, aut Portæ lapsum prohibere [2] Capenæ?
Si talis Capitolinæ tibi contigit arcis
Excubitor, qui te, casus cum sævior urget,
Deserit, & toto pavitans absistit Olympo,

6 *Aurea barba Statuæ Jovis Capitolini.*

7 *Flectendæ, certisque modulis efferendæ vocis Moderator.* Columella *vocis Magistrum, & cantus Modulatorem vocat.*

8 Sodes. *adverbium, seu potiùs interjectio blandè monentis: ita dicta, quasi,* si audes*: ut* sis, *pro* si vis, *duo verba copulando, ut notat* Cicer. in Oratore.

9 *Forum Cæsaris, ita dictum ab Æde Palladis.*

10 *Constat, Populum Romanum ludorum Circensium fuisse avidissimum.* duas tantum res anxius optat, Panem, & Circenses. Juven. Satyr. 10.

1 Pons Æmilius, *ante* Sublicius *dictus, quo perfracto, Horatius Cocles Porsenæ & Etruscorum victor, ad suos remigravit.*

2 Capena *una ex Romæ Portis. ita dicta, vel à proximo*

Illos tu melius [3] Labeoni credere muros
Aut [4] Damæ poteras: custos non segnior esset
[5] Natta, vel ad numerum doctus saltare [6] Bathyllus.
Quid causæ fuit, immiti proscindere ferro
[7] Taygetū,& Phrygios vectare per æquora [8] montes?
Scilicet ut sacræ [9] Rupis [10] Desertor & Urbis,
Spartano coleret fulgentia marmore templa,
Stringeret & fulvo jaculum [1] scurrile metallo.
Sparge vaporatas Eois messibus aras
Clavigeri, pia Roma, [2] Senis; procumbe Magistri
Ante pedes, magno quo gestit Tarsus [3] Alumno,
Et Cyprias [4] Cydnus jactantior exit in undas.
Hinc tibi certa salus, præsens hinc rebus in arctis
Præsidium tibi rite venit. Custodibus illis,

ejusdem nominis Oppido, *vel quod inde Capuam in Campaniæ Urbem iretur.*

3 *Labeone insanior*. Horat. lib. I. Sat. 3.

4 *Servi nomen, de quo non semel* Horat.

5 *Ignaviâ insignis*. Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ? Perf. Sat. 3.

6 *Pantominus apud* Persium. Tres tamen ad numeros Satyri moveare Bathylli.

7 Taygetus *mons apud Lacedæmonios præclaro marmore.*

8 *Sensus est. nihil necesse fuit Spartana, & Phrygia marmora vectare Romam, ad Jovis Capitolini statuam conficiendam.*

9 *Capitolii.*

10 *Juppiter, quem sui Templi incendium nibil commovet.*

I *Fulmen deridendum. ut ridere solemus, cum scurræ, ad captandam gratiam, armati incedunt more militari.*

2 *S. Petri Apostolorum Principis.*

3 *S. Pauli, Tarsi in Cilicia nati.*

4 Cydnus, *Ciliciæ fluvius. cujus frigidissimas aquas, lethales sibi senserunt in æstu Alexander Macedo, & Fridericus hujus nominis primus Imperator.*

Non te [5] Massagetæ, non quæ se ferrea claustris
Caucaseis effudit hiems, Tiberimque petebat,
Impia Pannonici terrent nec signa [6] Tyranni.
Illa ferox, collecta luto Mæotidos [7] undæ
Colluvies quantum præ se terroris agebat,
[8] Sauromatas, Dacos, & Hyperboreos Agathyrsos,
Bastarnasque feros, & pictis Bistones armis
Orbis in exitium cum duceret Attila! demens,
Atque suo dignus contundi [9] nomine, qui se
Numinis irati Virgas, Ferulamque vocaret:
Crudelis, stultusque simul, qui scindere ferro
Oppida, qui flammis agros incendere, totas
Perdere qui terras, auderet dicere, Regnum;
Nec sese vellet, nisi sola clade [10] potentem.
A Tanai, Scythicoque furens Aquilone profectus
Jam [1] Cicones, Bessosque, tuos jam, Mœsia, colles
Præterit, & campos quos [2] Noricus alluit Oenus.

5 *Illustris in Scythia natio.*

6 *Attilæ Hunnorum Regis, à quo incendiis, & vastitate affectæ omnes ferme Provinciæ Occidentis.*

7 *Paludis Mæotidos in Scythia, unde egressus Attila, aliisque per viam adscitis Populis Occidentem invasit.*

8 Sauromatæ, *idem quod Sarmatæ, Scythiæ Populi.* Daci, Agathyrsi, Bastarnæ *ad Scythas pertinent.* Bistones *Thraciam colunt.*

9 *Flagello scilicet. nam Dei Flagrum vocari se jussit Attila.*

10 *Contra rectum magnæ potentiæ ingenium, & naturam, quam optimi quique Principes beneficiis, & largitionibus exercuerunt.*

1 Cicones, Bessi, *Scythiæ populi.*

2 *Noricorum Provinciam in Germania veteri, hodie Bavariam dicunt: quamvis de certis ejus finibus Cosmographi discrepent.* Oenus *inter Noricorum fluvios recensetur.*

Gallica sed rura ingressum, fortesque [3] Gebennas
[4] Dux Latius claræ docuit discrimine pugnæ,
Consertis quantùm populatrix turba maniplis,
Et vilis forti distaret milite prædo.
Damna acuunt vires, majorque audacia victo.
Per [5] Carnos iterum, [6] Tergestinosque recessus
Torvus [7] Iulæis descendit ab Alpibus. armis
Diruta barbaricis celsas [8] Aquileia turres
Præcipitare solo, simul & consurgere vidit
Altiùs; eversæ casus dum splendidus Urbis,
Ausoniæ decus & columen, latèque potentis
Imperii [9] caput Hadriacis educit ab undis.
Auspiciis [10] Aquilæ victricia tela ferentis
Magnanima Ensiferi succedunt signa [1] Leonis

3 Gebenna, *Mons in Gallia, Arvernos ab Heluiis dividens.*

4 *Aëtius, Ductor exercitus Valentiniani Cæsaris, cum auxiliaribus copiis Francorum, & Theodorici Gothorum Regis, memorabili prælio in campis Catalaunicis edito, Attilæ copias fudit, fugavitque.*

5 Carni, *Populi Istris finitimi.* in *Italia collocantur à Plinio.*

6 Tergeste, *Istriæ Oppidum, mari proximum.* recessus, *idest Sinus Tergestinus.*

7 *Alpes Juliæ, ita dictæ à Julio Cæsare, quod partem suarum legionum illac transmiserit. extenduntur à Carnis ad Colapim Liburniæ Fluvium, ubi in Savum influit.*

8 Aquileia, *Civitas apud Carnos, olim perampla, & reliquarum in Italia, exceptâ Româ, facile princeps. sed anno* 452. *ab Attila excisa, Urbis Venetæ primordiis subserviit excidio suo.*

9 *Clarissimam Venetorum Rempublicam.*

10 *Aquileja, ab Aquilis dicta, quarum ingens copia in Carnorum Alpibus.*

1 Leo, *Insigne S. Marci Evangelistæ: idemque ensem ad-*

Adfuit; atque Ducem dictis compellat amaris.
Huc odiis certasse satis: ne tendere cursu
Ultra posse puta: vetat hoc, qui pallida tabo
Funera, lethiferamque luem, morbosque, famemque,
Frendentes certa cohibet qui lege procellas,
Et tenui tumidos fluctus confringit arena.
Fortibus addiderat dictis nec plura: verendos
Ante pedes, Getici cum concidit ira Tyranni;
Et procul attonitas acies, & victa referri
Signa jubet. [7] Rogitant, Quæ tanta potentia [8] dictis?
Tot peditum vexilla trahens cur cedat inermi?
Ille refert contra. Latii post terga Parentis,
Majestate gravis, venerandaque Numine sacro
Visa mihi [9] facies: mox reddita fertur ad aures
Vox minimùm mortale sonans. jubet ocyus illa
Maturare fugam, celeres abducere turmas,
Dulcis & Ausoniæ totis decedere campis:
Ni faciam, subitam cladem, certumque minatus
Exitium Senior, metuenda luce refulsit.
[10] Cælicolæ magni sic tradita nempe tuentur
Regna sibi. ad Romæ clavum de lyntre vocatus

7 *Attilæ Milites, Sociique.*
8 *Romani Pontificis.*
9 *Divi Petri Principis Apostolorum, Attilam ab excursione, quam meditabatur in Urbem, absterrentis. Sunt qui Divo Leoni Pontifici, dum Attilam redargueret, duos summa dignitate viros adstitisse memorant, nempe Apostolorum Principes, S. Petrum, & S. Paulum. Sed Poeta sequitur Paulum Diaconum, & alios, qui D. Petri solùm meminerunt. Vide* Baron. *ann.* 452.
10 *Authoris sunt verba, & animadversio, post enarratam Attilæ fugam ab Italia.*

[1] PiſcatorCimbros fugat,[2] Hippophagoſq;Coraſphos,
Et nutu flectit Regum turgentia corda.
Hujus ne dubites tumulo funalia centum
Digerere in gyrum, terrarum maxima Roma.
Auguſtum quanta cameret teſtudine Templum,
Deſcribat [3] Bramas,[4] Fontana,[5] Peruzius, & qui
Trinacrii [6] Michael [7] Geometræ vicit acumen.
Noliferæ turris [8] Madernus culmina formet,
Claraque de duro qui duxit nomina [9] ferro.
Aurea Porticibus [10] Berninus limina condat,
Regaleſque gradus, & ſtantes orbe columnas,
Quæ decorant illuſtre Forum, Circumque coronant,
Obſequioſa cient ubi læti murmura [1] Fontes,

1 *D. Petrus Apoſtolorum Princeps.*

2 Coraſphi, *Scythiæ Populi, equinis carnibus veſcuntur, inde* Hippophagos *vocat.*

3 *Bramantes Urbinas, inſignis Architectus, Ichnographiam Baſilicæ Divi Petri, & ejuſdem Tholi, delineavit.*

4 *Dominicus Fontana, egregius Architectus, alteram ejuſdem Templi Ichnographiam propoſuit.*

5 *Balthaſſar Peruzius, magni nominis Architectus, delineationem alteram ejuſdem Baſilicæ obtulit Leoni X.*

6 *Michael Angelus Bonarota, Architectus, Statuarius, & Pictor præſtantiſſimus, formam novæ Baſilicæ Apoſtolorum Principis excogitavit.*

7 *Archimedis Syracuſii.*

8 *Carolus Madernus, illuſtris Architectus, expoſuit Turris Campanariæ modulum ad eandem Baſilicam.*

9 *Martinus Ferraboſcus, qui alteram Turris Campanariæ delineationem exhibuit.*

10 *Laurentius Berninus, Architectus, & Statuarius clariſſimi nominis, Baſilicam Apoſtolorum Principis Porticu ampliſſima, Ædes Vaticanas Regiis gradibus, Forum, in gyrum ducto multiplici Columnarum ordine, illuſtravit.*

1 *Fontes gemini in area Vaticana, copiâ aquarum, & ma-*

Niliacique ferit nubes audacia [2] saxi.
Sed cum sacra tibi, Cælestis Janitor aulæ,
Festa dies remeat, multùmque optata quotannis;
Tunc hilares inter meritò nox fulgurat ignes,
Emissæque faces, & flammis ludicrus imber
Dat sonitum; reboant plaudentibus æra metallis,
Postera sole novo sed cum lux alma refulsit,
Festivis resonant concentibus aurea Templa;
Purpureo & Patrum circum fulgente Senatu,
Ara nitens Arabum susos incendit odores.
Tunc Orbis columen, [3] CLEMENS, tutelaque, fari
Quo Superi reor ore solent, præconia summi
Concelebrans, cujus pondus subit ipse, Magistri,
Solennis revocat longo post tempore ritus
Eloquii, & laudum veteres instaurat honores.

gnificentiâ operis splendidissimi.

2 *Obeliscus, à Sixto V. Pontif. Max. erectus in Area Vaticana.*

3 *CLEMENS XI. Pontifex Maximus, felicissimè regnans, qui pro summo, quo tenetur Religionis pietatisque studio, Sanctis Petro & Paulo, Apostolorum Principibus, sacro recurrente die, Homilias argumenti Majestate, miraque sua dicendi facultate dignissimas, publicè habuit.*



SATYRA III.

Ejusdem Argumenti.

ARGUMENTUM.



Unonem exagitat. Iterum interim Jovem carpit. Quædam de Herculis Apotheosi, & Æneæ navigatione in Italiam. Fabula de Marsullo Cisiario, & Grallonio, Hospite transalpino. Reliqua de Navigatione Æneę, & positis ab eodem in Latio Sedibus, nequidquam adversa Junone.

HOc [1] quoq; [2] mnemosynǫceratis scribe [3] tabellis,

[1] *Helenus, Priami Filius, Chaoniæ in Epiro Princeps, Æneam Hospitem alloquitur. monet autem post alia, quæ dixisse fingitur, ut colendæ sibique conciliandæ Junonis præcipuam curam suscipiat.* Virg. 3. Ænei.

Junonis magnæ primùm prece Numen adora;
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis; sic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.

[2] *Quidquid in amici memoriam alteri traditur.* Mnemosynon mei Sodalis: Catul. *hic pro salutari consilio sumitur.*

[3] *Quibus cerâ obductis Veteres scribebant. intelligit autem libellos illos gestatorios, in memoriæ subsidium, in quos ea re-*

Nate [4] Dea. magnum Junonis Numen adora :
Junoni pingues mittant [5] carnaria renes
Taurorum ; & nitido candelas imbue sevo.
Non aliter fines Italos, & culmina vises
[6] Janiculi. Hæc fatus profugum dimittit [7] amicum
[8] Priamides: simul Epirotica vina carinis,
Et [9] Cererem excoctam diuturnos stipat in usus.
[10] Credimus. est aliquid Saturni Filia. quidni?
Imperiosa Jovem rabidis cum calcibus ipsum
Sæpius accipiat, duros religata cothurnos.
Præcipuè cum nocte domum se serus [1] Amator
Jam multâ recipit. clausis tunc illa trementem
Excludit foribus, celsâque insana fenestrâ
Ejulat ; & crepidas, & quidquid missile demens
Suggerit ita, jacit. pluvio tunc Juppiter ipse
[2] Sub Jove [3] cantillat, Tegeaticus ut Satyriscus,
Pande, Corisca, fores. quod si miserata madentem
Imbribus, & liquido perfusum pallia nimbo,
Postibus admittit tandem, non jurgia primùm,
Non mala Cerbereæ cessat petulantia linguæ.

ferre solemus, quæ, ne de memoria effluant, pertimescimus.
4 *Æneas, Veneris Filius.*
5 *Locus ubi carnes venduntur.* Cœnam è carnario emit. Plaut.
6 *Mons, itemque vetus oppidum trans Tiberim.*
7 *Æneam Hospitem.*
8 *Helenus. Priami Filius.*
9 *Panem Nauticum.* biscotto
10 *Assentiendum planè Heleno, & magni facienda est Juno, Saturni Filia.* Ironicè.
1 *Idem Juppiter, cujus pravos amores obiter vellicat.*
2 *Sub Cælo pluviis fœdo.*
3 *Cantando orat Junonem, ut apud Comicos solent servuli suas amasias.* Tegea, *Urbs Arcadiæ.* Satyrus & Corisca,

[4] Hoccine te noctis? post quam cineremque, focumque
Composui? friget jamdudum cœnula; friget
[5] Vervecina, lepus, frixique pedusculus agni.
Per caput hæc inter, costasque uxoria pugnis
Sævit hyems: malis figit, lacerisque capillis
Zelotypos ungues: sacrarum vulsa comarum
Pluscula pars hæret digitis, & adultera forti
Barba manu. plorans, [6] per terras frugiferentes,
Eumenidum per hydros, mores vovet ille pudicos:
Magnificũque putat Superũ Pater, atq; Hominũ Rex,
Mucidulum liceat si, post tot verbera, panem,
Proque obsoniolo [7] muriatum sumere piscem;
Deinde thoro cæsos componere fustibus artus.
Instruite ergo [8] focos, Pueri, lætumque virenti
Spargite fronde solum: Junoni sacra canamus:
Stridat in igne merum: segetes in nubila fument
Panchææ: jugulis submittite cultra suillis.
Dicamus bona verba. [9] Βοῶπι πότνια Ἥρη
Accipe [10] cretatumque bovem, tepidumque cruorem
Exsugas: liceat stomachi distendere [1] cryptam.
Da, bona, da veniam, lædit si bubula dentes

Interlocutores sunt in satis nota Fabula Pastorali.
4 *Supple:* domum refers. *Junonis sunt verba.*
5 *Supple.* caro.
6 *Ita* Lucret. l. 1.
7 *Salsamento conditum.*
8 *Ad sacrificandum Junoni.*
9 Bovinis oculis veneranda Juno. *Homeri sunt verba, quibus frequenter honoris causâ Junonem appellat.*
10 *Candidum, vel creta infectum, quod erat indicium gregis venalitii.*
1 *Locus abditus, & concameratus. expone stomachi sinus, & receptaculum.*

[2] Puſpula, ſi nares [3] rugat [4] lacrimoſa ſinapis.
Adſis ò præſens, ſeu Diva [5] Lacinia dici,
[6] Cinxia ſeu mavis, ſeu tu [7] Domiduca vocari.
Tæda thori te ſacra [8] Jugam, te Caſtra [9] Monetam
Appellant meritò. Latios tu [10] Februa Faſtos,
[1] Caprotina forum, pictos colis [2] Anthia flores.
Præfatus veniam verùm, [3] Feronia, paucis
Te vellem. inviſo toties cur Hercule victa
[4] Succumbis demum, totoque recedis Olympo,
Unguibus illa potens, [5] Jovimaſtix inſuper illa?
Obſtupet hæc, quæ nunquam [6] oleum plebecula vidit,
[7] Nec tria Steſichori. quid enim? cunabula nartas,

2 *Conſciſſa caro.*
3 *Nauſeam creat; qua affecti corrugare ſolent nares.* Horat.
4 *Lacrimas ciens, ſaporis acrimoniâ.*
5 *Ita dicta, à Lacinio Brutiorum Promontorio.*
6 *A cingulo novis Nuptis poſito. Vide* Gyrald. Syntag. 3.
7 *Quòd ad ſponſi ædes pergentes Nuptas comitaretur.*
8 *A jungendis Sponſis, unoque veluti jugo ſociandis. Jugæ, ſeu Junoni Jugali ara Romæ fuit.* Feſtus.
9 *Quòd Bello Tarentino Romanos monuerit, non defuturam illis pecuniam, ſi juſtè bellum moverent.* Suidas.
10 *Quòd ipſi eo Menſe ſacra fierent.*
1 *Quòd eidem ſacrificarent ſub caprifico.*
2 Florida *Latinè. cui Templum apud Corinthios.* Pauſan.
3 *Ab Urbe hujus nominis, ubi præcipuè colebatur.*
4 *Alcmenæ Filium tot feras vincere, & denique inter Deos referri, paſſa.*
5 Jovem verberans.
6 *Rudis ſcilicet populus. Parœmia ab Athletis, qui oleo ungebantur.*
7 *Strophen, Antiſtrophen, Epodon: quæ à Steſichoro paſſim uſurpata in carminibus, omnibus erant notiſſima. hinc in vehementer imperitos dici ſolitum. Nec tria Steſichori: ſupple,* noſcit. *ita expone hunc locum. Juno, cum tam ſtrenuè te geras*

Tergoris anguinei formidatumque [8] volumen?
Ardua nimirum tollentes colla chelydros
Pupulus, ut tepido [9] lumbricos sole creatos,
Elidit [10] minimo. quid dicam [1] Eurysthea, centum
Lassum [2] terriculis, quid [3] Thessala monstra, nigrasq;
Stymphali [4] volucres, Hydramque, Canemque, Poetis
Et quæ tristificis mos est committere chartis,
Cum furiant vacuum Parnassi saxa [5] lienem.
Verùm [6] Spartano posses hæc pectore forsan
Concoquere. huc properè fusoque, coloque relicta,
Accurre; Oetæos apices, nemorosaque lustra
Scandit ubi [7] satus Alcmenâ, flammisque caducam
Integrat emoriens, ut [8] avis Titania, vitam.

adversus Jovem, cur Herculem, hostem tuum infestissimum, tot victoriis ornari, ac demum Cælum invadere, & inter Deos referri sinis? non bene audis eâ causâ, præsertim apud Populum, cujus est plerumque crassum judicium.

8 *Spiras anguium, quos Juno immisit in Herculem infantem.*

9 *Vermiculos è terra natos.*

10 *Subaudi:* digito. Horat. Crispinus minimo me provocat.

1 *Græciæ Rex, qui Junonis instinctu durissima Herculi imperabat.*

2 *Lassum iis imperandis, quæ terrorem Herculi afferre possent.* terriculum, & terriculamentum, *quod terrorem injicit.*

3 *Centauros.*

4 *Aves eximiæ magnitudinis in Stymphalo, Arcadiæ lacu.*

5 *Quod Græcis* Splen. *unum ex interioribus visceribus.*

6 *Obfirmato, Spartanorum more.*

7 *Hercules. sententia est. quod si, Juno, oscitas ad Herculis victorias; te saltem permoveat impetus ille, quo ad Cælum iter affectat ab Oeta Monte. ad illum procul submovendum accurre, relicto fuso. Quid enim nisi vilissima es muliercula, quæ isthæc perpeti possis?*

8 Phœnix. Avis Titania *dicitur, quia ad Titanis, idest*

Horrentes piceas, & iniqui ponderis ornos
Aggerat; Oetææ quando nec cinnama cautes,
Nec gignunt [9] casiam. succensi ex aggere busti
Jam prodit, qualis terebrati follis ab alvo
Papilio pictis bombycinus emicat alis.
Cernis, inhorrentes quanta fuligine vultus
Attollat, quanto nubes conamine findat?
Jam [10] Vigilum portas, jam castra suburbica prensat;
Muralesque manu pinnas amplexus, in arces
Magna [1] novercales glomerat vestigia. Sed tu
Quid segnis tanto cessas in cardine rerum,
Maxima Cælicolûm? nunc [2] illos exere pugnos;
Nunc illi stridant fustes, & mascula flagra.
Conscende [3] impluvium, vel te sublimiùs effer
Supra [4] suggrundas, summique crepidine tecti.
Quòd si tuta parum consistis in [5] imbrice prono,
Tegula teque anceps terret, fastigia per me
Summa licet scandas, revolantes aëre longo
[6] Turris ubi molles recipit pertusa columbas.
Iracunda ciens hinc toto murmura Cælo,
In caput invisum direptos projice soccos:

Solis radios pyram accendit.

9 *Ut silvæ Assyriæ; quarum ramusculis Phœnix pyram struit.*

10 *Extimas Cæli munitiones. ducta metaphora ab obsidione Castrensi.*

1 *Tuas scilicet, Noverca Juno.*

2 *Quibus adversus Jovem strenuè rem agebas, ut supra.*

3 *Locus in Ædibus ad pluvias colligendas.*

4 *Prominentia tectorum, quibus stillicidium arcetur à parietibus.*

5 *Curvæ tegulæ, quibus aquæ defluunt.*

6 *Turris columbaria, crebris loculis perforata, ad columbas, earumque ova, & pullos excipiendos.*

Excute [7] malluvium, vectes, [8] transtilla, columnas,
Dolia, verriculum, mensas, armaria, corbes:
Antiquas devolve trabes, vastosque molares:
Asseribus ne parce thori; demitte sequaces
Pulvinos totis cum cervicalibus; adde
Ferventem larido, nigris & caulibus ollam,
Confixasque veru merulas, [9] ovisque patellam
Stridentem effusis, & multo segmine pernæ.
Hem quid agis? cessas jaculis? tibi nulla supellex
Usque adeo? non [10] œnophorum, non testa, salillum,
Non lecythus, non trulla, tripus, non obbula, nō lanx?
Tam latè vacuas jocularis [1] Bernia sedes
Non equidem coluit, non [2] Furius ille, jocosè
Quem carpit, puris [3] cui dicta Phaselus Iambis.
Argivis [4] Capaneus si formidatus in armis

7 *Vas, in quo manus lavantur.*

8 *Infixæ parietibus tabulæ, quibus vilia servantur.*

9 *Ova frixa in sartagine*; pernæ, *suillæ nempe carnis frustulis interjectis.* Frittata rognosa.

10 Oenophorum. *vas vinarium.* testa. *coctum est fictile, à torrendo dicta, quasi* tosta. lecythus. *vas ventre amplo, arctiore collo, ad servandum oleum.* trulla. *diminutivum à* Trua. *genus vasis vinarii.* tripus. *propriè olla tripedana. Item mensa tribus fulta pedibus. super hujus generis mensa in Templo Apollinis Delphici Phœbades vaticinabantur.* obba, *vas vile potatorium.*

1 Franciscus Bernia, *Poetarum festivissimus, Domum suam ruinosam, & nulla suppellectile ornatam Italicâ cantiunculâ lepidissimè, ut solet, describit.*

2 *Furii cujusdam inanem domum, & vacuam describit Catullus Epigrammate, cujus est illud initium:* Furi, cui neque servus est, neque arca.

3 *Catullus, cujus est Epigramma de Phaselo, puris iambis concinnatum.*

4 *Unus è septem Ducibus, qui Thebas obsederunt.*

Audet [5] Echionias dextrâ convellere Thebas,
[6] Statius expumans subitâ face nubila rumpit,
Non passus ruere elatos [7] Amphione muros.
Si latis humeris Priameia limina [8] Pyrrhus
Amplexus quatit, ærata sævitque bipenni,
[9] In caput excussi magna vi desuper ignes
Desiliunt; non saxa manu torquere, revulsis
Nec cessant Troes devolvere robora tignis.
Sacrilegas cum fronte manus si nubibus infert
[10] Amphitrioniades, tu [1] pandicularis ineptè,
Tu dormis appota probè? te [2] Myside quisquam
Et posthac, Staphylâque putet, Scaphiâque, Syrâque,
Aut demum docili distare [3] Melænide quidquam?
Sed fuerit pietas (exponam mitiùs ut rem)
Parcere [4] privigno post tot certamina; monstris
Et sua quæ fecit fulgentibus, [5] astra petenti.
Dardanium Æneam, Priami generumque [6] Latini,
Idaliæ Veneris [7] pullum nunc excute; cujus

5 *Ab Echione Cadmi Socio, qui Thebas condidit.*
6 *Juppiter nempe, à Statio inductus.* Stat. l. 10.
7 *Thebarum instauratore.*
8 *Vide* Virg. l. 3. Æneid.
9 *Pyrrhi aggressoris.*
10 *Alcumenæ, Amphitrionis uxoris, Filius.*
1 *Qui oscitantes corporis membra distendunt, & quasi pandi fiunt,* pandiculari *dicuntur.* Festus.
2 Mysis, Syra, *ancillarum sunt nomina apud Terentium.* Straphyla, Scaphia *item ancillarum nomina apud Plautum.*
3 Melænis, *lenæ nomen apud Plautum.*
4 *Herculi ex Alcmena nato.*
5 *Tanquam meritò poscenti Cælum, quod suum fecerat translatis illuc monstris à se domitis, & in cælestia signa conversis.*
6 *Æneas Creusam primùm, Priami filiam, postea Laviniam, Latini Regis filiam, uxorem habuit.*
7 *Carissimum Parenti Veneri, ut esse solent avibus pulli.*

Sublatus fregit [3] Pater offa podagricus; arsit
Cum lectica domi; cum gestatoria sella,
9 Hasta subalaris, columen, sociusque viarum
Cum periit baculus tornatus, & omnia demum
Fulcra pedum. Quantum longâ profecerit irâ
Quæris Sponsa Jovis? mecum sic collige. Trojâ
Constituit postquam veterem divellere [10] nidum,
Ad naves famuli bulgas, auroque refertas
Sarcinulas referunt, torques, aulæa, tapetes,
Cingula, crateres, phialas, [1] chrysendeta, cistas,
Et [2] Ganymedæum croceo velamen acantho,
Illusamque auro pallam; pulcherrima Dido
Quæ mox dona [3] ferat, falsusque ministret [4] Iulus;
Quæ bonus accipiet, natus Laurente Maricâ,
In Latio [5] Socer, & Carmentæ filius [6] Arcas,

8 *Anchises. ad quem Trojâ educendum mirum est nihil vehiculi superfuisse; ut necesse fuerit à Filio in humeros accipi. quod dum excusat Poeta, tanquam Græcorum igne arserint omnia, magis irridet. In exponendis Æneæ itineribus Poeta nihil discedens à Geographica ratione, quam Virgilius instituit, multa ipse comminiscitur; quædam festivè interpretatur, ut ridiculo Satyræque serviat.*

9 Hasta subalaris. *Italis* stampella. columen, sociusque viarum baculus. *vulgo* Bordone.

10 *Rem domesticam, sarcinas.* nidum *dixit, quia Veneris pullum Æneam vocaverat.*

1 *Vasa auro ligata.*

2 *Chlamydem acu pictam, quam Ganymedis fabulam exprimentem Cloantho, Victori in ludis funebribus, Æneas tradidit.* Virg. Ænei. 5.

3 *Vide Virgil. Æneid. l.* 1.

4 *Ascanii formam mentitus, Veneris Filius.*

5 *Latinus Rex.*

6 *Evander, Pallantis Arcadiæ Regis, & Carmentæ filius, qui Urbem Pallantæum in Latio condidit.*

Et demum [7] quotquot, Drepani per littora, saltus
Circa sarcophagum Anchisæ, plaususque dedere.
Ergo manticulas, cistellas nautica turba
Subvectant humeris: centum Prætoria saccos
Fert prægnante utero. Sed nec properantiùs [8] urgent
Ista: gradu trahitur lento pretiosa supellex;
Argivus nullos tanquam [9] cantherius hostes
Interea vomeret, nec conderet aera fumo
Ucalegonis apex, summo flagrante tigillo.
Verùm ubi prima rates leni vocat aura susurro,
Protinus Idæis everrit cærula [10] palmis.
Dein mores hominum varios, & nomina discit,
Pluraque collustrat, quam [1] Tavernerius olim,
Emenso penitus vel viderit orbe [2] Gemellus.

7 *Socii, qui Drepani in Oppido Siciliæ, ad Anchisæ Tumulum bonorarium ludos celebrarunt.*

8 *Æneas, ab incensa Patria excedens, pretiosissima quæque in naves conjicit. idque non anxiè & festinanter, ut assolet in re trepida, sed cunctanter & sedatè, nullum ut præseferat metum iratæ Junonis; & tanquam non vi compulsus, sed animi gratia navigationem suscipiat.*

9 *Id differt cantherius ab equo, quod Majalis à Verre, capus à Gallo, vervex ab ariete. hìc Equum Trojanum significat.* Ucalegonis apex. *Domus Trojani Ucalegonis.* Jam proximus ardet Ucalegon. Virg. Ænei. 2. tigillum. *diminutivum à* tigno: *proprie trabs, cui superponitur tectum, à tegendo.*

10 Palma, *sive* Palmula. *extrema pars, & latior remi, in modum palmæ protenta.* Idæis. *In Ida Phrygiæ monte confectis.*

1 Joannes Baptista Tavernerius *scripsit commentarios rerum, quas per Europam, & Asiam peractis itineribus cognovit.*

2 Joannis Francisci Gemelli *per universum Terrarum Orbem Itinera nuper prodierunt in lucem.*

Threicios primùm fines, & prælia vidit
Decertata grues inter, [3] parvosque colonos,
Quorum [4] rhomphæas, & sæva Philostratus arma,
Bellicreposque notat fastos. Tum [5] lucida Delos
Latonæ geminis legitur reptata Puellis.
Hic postquam, Numen bis ter veneratus utrumque,
Dixit [6] amœbæum cum fido carmen Achate,
Dianam teneræ ... nudato remige prendit
[7] Vaniloquam Creten. Nam quid non fingere de se,
Quid non ventosis attollere follibus ausi
[8] Curetes? tenuit [9] Dictæas Juppiter arces?

3 *Pygmeos, quorum in Thracia contra grues certamina narrat* Philostratus. *quod autem dicit, Æneam Pygmæorum prelia in Thracia vidisse; id, itemque infra alia similia, per cavillationem Satyricam Poeta comminiscitur scilicet.*

4 *Gladii genus, quo Thraces utuntur.* Livius.

5 *Quod ibi Latona Apollinem, & Dianam genuerit.*

6 Amœbæum Carmen, *alterna modulatione, æquali numero versuum canitur. Sensus hujus loci est. cum Æneas in Insulam Delon pervenisset, in honorem Apollinis, & Dianæ cum Acathe socio Hymnum concinuit, ut ille est apud Horatium,* Dianam teneræ dicite Virgines; Intonsum, Pueri, dicite Cynthium. *quo persoluto Hymno, solvit in Cretam. Inducens autem Poeta Æneam in Templo Apollinis, Horatii versus recitantem, haud dubiè vidit immane temporis spatium, quod interjacet inter Æneam & Horatium; sed te, erudite Lector, minimè fugit, Anacronismos à severioribus etiam Poetis in Heroicis recipi, in Satyra verò non modò locum, sed etiam gratiam habere; eoque magis, quò crassior est, & apertior perturbatio temporum.*

7 *Cretenses mire sua omnia in majus efferre soliti. Unde adagia.* Cretenses mendaces. cum Cretensi cretiza. *id autem de antiquis illis Cretensibus intellige. nam ex ea Insula summâ animi moderatione viros & novit Authbor plures, & amicissimos habet.*

8 *Ita dicti primi cultores Cretæ.* Servius.

Cælicolûm [10] Pater est. Plutonem extrema veretur
Insula? luctifico Cocyti carcere regnat.
Et qui [1] Gnossiaci fuerat maris [2] Archithalassus,
Omnia Neptunus trifidâ regit æquora furcâ.
Felices populi, quod non regionibus illis,
Illo nec notus Marsullus tempore vixit,
Censor atrox linguæ, castigatorque loquacis.
Montosas Cretæ centum Dux Troius Urbes
Dum videt, atque [3] enchiridio tot nomina scribit,
Fabellam expediam, mihi quam mirabile multùm est,
Vulgatam properante manu, formisque [4] Viterbj
Quòd non Oppidulis dederint, populoque terendam
[5] Bellacera, Maraschinus, Ronchallia, Brittus,

9 Dicte, *una ex centum Urbibus Cretæ.*

10 *Jovem, cui superiora Insulæ cesserunt, Cæli Regem dixerunt Cretenses, Plutonem, cui inferiora, Tartari, Neptunum Cretici maris Præfectum, marium omnium Regem prodiderunt.*

1 Gnossus *inter centum Cretæ Urbes adnumerata.*

2 *Maris Præfectus.*

3 *Propriè, quidquid est in promptu, & à manu. hìc pro Commentario sumitur, libello scilicet gestatorio, in quem referimus quæ nobis in dies accidunt scitu, relatuque digna. Alii* Diarium, & Ephemerides *vocant.*

4 *Typis Viterbiensibus impressæ, per Puerorum, populique manus transvolant narratiunculæ quædam, Italicis plerumque versiculis conscriptæ, quibus res bellicæ, præsertim circa Caroli Magni tempora, pugnę etiam nostri ævi celebriores, item admirabiles, tristesque plerumque eventus continentur. Iis verò carminibus lectitandis non Urbanus modò populus, sed agrestes circa Urbem, & proximos Vicos incolentes otium fallunt, & mirificè delectantur.*

5 Paulus Bellacera, Hortensius Moraschinus, Marcellus Ronchallia, Paulus Britti, Andreas Volpinus, Durindellus Rastellantus, *Authores sunt aliquot, quorum no-*

Volpinus,

Volpinus, Rastellantus, [6] Cruciusque [7] Bovillis
Et Gabiis notus, Volscisque, Æquisque Faliscis;
Et demum [8] Antonã quotquot, flammasque Viennę,
Et tragicos rerum casus, pugnasque canentes
[9] Distrahit ære levi, spargitque [10] Renatus; ahena
Cujus tutatur cassis, signatque tabernam.
Marsullus, Latia Vector Rhedarius Urbe,
Sordida clamoso [1] gurgustia calle colebat,
Pensilis Effigies [2] Ursi cui nomina fecit.
Hìc illi geminus, succussatorque caballus,
Hìc illi strigiles, & conductitia rheda
Census erant. Ergo Picenæ limina [3] Matris
Nunc adit, & cellæ sacraria [4] Tollentinæ;
Volsinios nunc ille [5] lacus, scopulosaque saxa

mine, quæ supra commemoravi, Poetica Schediola circumferuntur.

6 Julius Cæsar Crucius, *è Scriptorum genere, quos supra recensui, facetissimus ubique avidissimè legitur.*

7 Bovillæ, Gabii, Volsci, Falisci, *antiqua nomina Oppidorum aliquot circa Urbem.*

8 *Opuscula Italicis versibus scripta, in vulgus nota,* Bovus Antonæ, Amores Paridis & Viennæ, *& sexcenta hujus farinæ, an furfuris?*

9 *Vendit minimo pretio.*

10 *Bibliopola in Urbe notus, cujus tabernæ librariæ insigne est ferrea Galea.*

1 *Angustæ sedes, à gurgulione verme sic dictæ.*

2 *Regio Urbana, vulgo* l'Orso, *quam colunt qui vecturas faciunt.*

3 *Domum Virginis Lauretanæ.*

4 *Ædem Sancti Nicolai Tollentinatis, apud Picenos.*

5 *Lacum Vulsiniensem, vulgo* di Bolsena, *in Hetruria; hodie Pontificiæ ditionis in Ducatu Castrensi. In eo Insula est parva, cæde Amalasunthæ, Athalarici Gothorum Regis Matris, notissima.*

Pulsat, & à cophinis quam Tuscia nominat [6] Arcem.
Huc agit Illyricos, Belgas, flavosque Boëmos,
Et quos cæcus [7] Anas, fortisque Druentia misit,
Et cum monticolis Rhætis Allobroges; anceps
Ut sors nimirum, vecturaque contigit illi.
Forte recens Romam advectus Grallonius Hospes
Marsulli rhedam conduxerat, [8] Hercule lævo.
Non est, quòd patriamque hominis, stirpemq; requiras:
Scilicet hæc solus novit Marsullus, & uni
Occuluit sibi nota, [9] Samo taciturnior ipsâ.
Hospes non minimùm moratus cætera, solùm
Hoc vitiosus erat, crassis quòd patria Regna
Laudibus efferret semper, mirandaque multùm
Diceret, [10] excordes Phrygii quæ credere nollent.
Præcipuè celebres dum circumducitur Urbes
Italiæ, adducto fastidit singula naso.
Nauseat irriguos fontes, pomaria, villas,
Marmoreas Ædes, quas præterit: obvia demum
Quæ se cumque ferunt, patriis sunt omnia longè
Deteriora focis. segetes feliciùs illic
Proveniunt, illic onerat vindemia colles

6 Tunias, *Thusciæ Mons. vulgo*, Radicofani.

7 *Fluvius Hispaniæ Tarraconensis*. Guadiana. *cæcum dicit, quia quinque leucarum spatio sub terra conditus, rursus emergit. quod de Tigri etiam Asiæ fluvio Geographi memorant.* Druentia, *fluvius Galliæ Narbonensis*.

8 *Viatores sub Herculis sunt patrocinio, utpote qui immensa spatia terrarum feliciter peragraverit.*

9 *Pythagora, qui Samius fuit.*

10 *Qui cæteroqui ad credendum propensissimi essent, & quibus idcirco facile imponebant Græci, Sinon præsertim, adhibito figmento de lignei Equi simulacro, Minervæ dicato, ut illud in Urbem inducerent.*

Lætior: uberiùs prælo ſtringuntur olivæ:
Largiùs intonſæ diſtendunt ubera capræ:
Duplo major anas, turtur, fringilla, coturnix,
Pullaſter, perdix, capus, gallina; nec addit,
Quod ſolùm verè potuiſſet dicere, [1] ſturnum.
Stridula ſuccinctis hominem dum rheda [2] veredis
Monticolas ducit, ſaxoſo calle, per Umbros;
Ilia ſubſultim poſtquam concuſſa, gravemque
Concivit [3] diaphragma famem; Quàm pinguia reris
Prandia, commemorat, nobis, Marſulle, parabit,
Quæ primum accipiet laſſos caupona? beatè,
Dixit, eris; non [4] Phæacum, [5] lautaſque requires
Pontificum cœnas: nam quæ dulciſſima totam
Fraga per Italiam redolent, tibi proxima largè
Oppiduli caupona dabit. Non, ſubjicit ille,
Talia laudares ſed tu, ſi terra tuliſſet
Te mihi natalis; latos ubi fraga per agros
(Prætereo multùm quòd ſunt ſapidiſſima) veſtri

1 *Ipſum ſcilicet Grallonium. Sturnus ſumma inter aves ſtoliditate; unde & facile retibus capitur.*

2 *Equi, à vehenda rheda dicti.* Martial. Stragula ſuccincti, Venator, ſume veredi.

3 Diaphragma. *latine*, interſepimentum. *quid autem hoc nomine intelligant Medici*, Celſ. in Procem. l. 1. *docet his verbis*. ſimulatque ferrum ad præcordia acceſſit, diſciſſum tranſverſum ſeptum eſt, quod membrana quadam ſuperiores partes ab inferioribus deducit (Diaphragma Græci vocant) hominem protinus animam amittere.

4 *De luxu Phæacum ſatis multa Homerus habet in Odyſſea.* Pinguis ut inde domum poſſim, Phæaxque reverti. Horat.

5 *Pontificales cœnæ omnigenis lautitiis inſtruebantur. Vide* Macrob. Saturnal. l. 3. Mero Pontificum potiore cœnis. Horat.

Ut pepones, surgunt. [6] Pol! fraga insignia narras,
Marsullus retulit: longos simul ilia pulsat
Singultus pulmone trahens; effundit & omnes,
Quos [7] Abdera tulit, quos & [8] Verona cachinnos.
Hoc magis ille furit, patrias juratque per aras,
Dictam de fragis à se rem scilicet ipsam.
Non se magniloquis [9] Colophonia verba Tragœdis
Vendere, nec patriæ ventosum obtrudere [10] palpum.
Detraxisse aliquid potiùs, dictumque modestè,
Repentes hortis quòd solùm melonas [1] æquent.
Ergo cum non [2] contraheret turgentia vela,
Tenderet atque magis jactator strenuus [3] arcum,
Marsullus tumidæ frontis [4] demittere cristas

6 *Adverbium jurantis per Pollucem.*

7 *Democritus Abderita, humana omnia risu prosequi solitus.*

8 *Catullus Veronensis, cujus est Epigramma ad Sirmionem peninsulam, illo clausum versu.* Ridete quidquid est domi cachinnorum.

9 *Non se Patriæ decora verbis majora facere. nec verò uti se ampulloso eloquio, quale erat Colophonum, præsertim in Tragœdiis, quarum est character sublimis, & parem prægnantibus sententiis locutionem deposcens.*

10 *Adulari.* Plaut. *Hinc Adulatores,* Palpones *dicti. ducta ab Equisonibus metaphora, qui plausu manuum equis blandiuntur.* palpare. *blande est, & leniter tangere.*

1 *Subaudi,* fraga.

2 *Cum nihilò moderatioribus verbis ageret. Metaphora à navigantibus tracta, qui vela contrahunt, ubi ventus spirat validior.*

3 *Idem, quod supra, aliâ à Venatoribus ductâ metaphorâ.*

4 *Hominem redigere ad modestiùs sentiendum, & loquendum. translatio vel ab avibus, quæ, cum cristas erigunt, alacritatem ostendunt; vel à cristis galearum, quæ ad militum ferociam faciunt;* & tamen illi surgebant cristæ. Juven.

Conſtituit, vacuo [5] talpæ cerebroque mederi.
Progreditur tacitus, voces & ſupprimit omnes
Tantiſper; donec per frondea luſtra, nigroſque
Anfractus nemorum, cæcis occurreret umbris,
Pridem nota ſibi, denſo ſpecus abdita luco.
Ad Dominum hìc vertens mœſto cum lumine frontē,
Subſiſtit trepidans, & ficto pectore fatur.
Huc ubi deveniunt ciſiis quicumque citatis
Vecturas faciunt, preſſos retinere [6] lupatos,
Quadrupedes inhibere ſolent, Dominoſque monere
Terribiles fremitus, & miræ ſæva Cavernæ
Verbera, vitandumque viris mendacibus Antrum.
Nam quiſquis, falſi cui mens ſit conſcia dicti,
Ingreditur fatale Specus, niſi protinus omnem
Confeſſus fraudem, fallacia verba retractet,
Et temere dictum revocet, [7] funemque reducat,
Stipitibus longis, furciſque bicornibus illum
Continuò invadunt nigri [8] Cacodæmones. eheu,
Qua rabie miſeros, quàm multo verbere cædunt!
Ergo, cornigeras timor eſt ſi cernere frontes,
Si corio pavitas, & [9] iniquos oſſibus imbres,
Excute te, fibraſque animi percurre per omnes,
Inque imos deſcende ſinus: inoleverit illic
Si falſi quidquam, penitus deterge, fateri

5 *Quæ cerebro, ut oculis, carere dicitur.*
6 *Item* lupi, *& uſitatius* lupata. *frena aſpera, à luporum dentibus, qui duriſſimi perbibentur.*
7 *Revocet jactantiùs dicta. ſumptum ab equis, qui, remiſſis habenis, licentiùs feruntur.* Quæ dederam ſupra repeto, funemque reduco. Perſ. Sat. 5.
8 *Malos Genios Latini dicunt.*
9 *Verberum ſcilicet.*

Ingenuo culpam nec parcas ore, priùs quàm
Caudatæ assiliant stygiis cum fustibus Umbræ.
Tristis ad hæc, diverte aliò, Grallonius inquit,
Tutus iter. [10] Quò nempe mones? clausa omnia circũ
Saltibus; hæc solùm flexus via facta per arctos.
[1] Jure vias nunquam potui laudare per agros
Italiæ; nostris nihil est præclarius. [2] Ut vis.
[3] Sed quantum distat specus ostentosa? [4] Ducentos
Hinc facilè passus. [5] Aliò si flectere cursum
Huc jam progressis non est res integra, perge.
[6] Dum rota festinat, paulum cunctatus; Amice,
Quod tibi de fragis retuli, tu scilicet isthuc
[7] Accipe commodiùs. non omnis surgit obeso
Corpore [8] Melopepon: æquare cotonea quosdam
Vix reor; hos referunt pepones nostratia fraga.

10 *Marsullus respondet.*

1 *Resumit Grallonius. nec sibi, & ingenio, occasionique collaudandæ Patriæ deest. multiplicia per suas regiones, & numerosa itinera esse; perpauca, & minùs commoda per Italiam.*

2 Ut vis. *concessio est Marsulli.*

3 *Iterum Grallonius.*

4 *Cisiarii responsio.*

5 *Vim sibi facit Grallonius. & primò quidem virilem fortemque animum ostendens, jubet Marsullum iter capessere in speluncam. Sed interim enormis mendacii sibi conscius, & metu v rberum tactus, quod de immanibus patriæ fragis dixerat, paulatim extenuat.*

6 *Dum interim currus, & equi properant, Grallonius sinistrum aliquid metuens sibi à spelunca, mendaciorum vindice, incipit resipiscere*

7 *Blandiùs interpreteris. non ita rem, ut ajunt, ad vivum seces.*

8 *Cui fraga æquavi.*

Accipio, Marsullus ait; Spelunca sed horrens,
O bone, fit proprior. [9] Tunc ille, cotonea dixit
Ipsa etiam quædam sunt parvula, Persica quantùm
Mala rubent: fragis ea sunt conformia nostris.
Hoc etiam teneo, subicit Cisiarius: ecce
Sed tibi Larvarum Hospitium. [10] Subsiste parumper,
Obsecro; nil obstat, quæ dixi Persica, quin tu,
Mitior interpres, mellitæ pruna [1] Damasci
Exponas. [2] Habeo: sed jam fatalia currus
Antra subit. [3] Subit? [4] Occurrunt Cocytia monstra:
[5] Occurrunt? perii nimirum funditus. [6] Adsunt
Tres à fronte. [7] Malum! [8] Turmatim fœtida gliscit
Bestia. [9] De fragis commentum est scilicet illud:
Jactanter dictum revoco, clarèque retexo.
[10] Quàm diræ facies! tibi quos ante ora colubros

9 *Magis porro rem diminuens, & errorem vaniloquentiæ, ut propior ad speluncam accedebat, tectè atque gradatim excusans.*

10 *Grallonius prosequitur.*

1 *Pruna, satis exigua mole. Damasco, ut conjicere licet, primùm advecta.*

2 *Annuit Marsullus, urgetque fabulam.*

3 *Grallonius cum admiratione interrogat.*

4 *Marsullus hæc animosior, ex bono fabulæ successu.*

5 *Iterum pavido turbatoque animo Grallonius; conscius quippe mendacii, non dum sincerè, & integrè retractati.*

6 Adsunt tres à fronte: *supple*, mali Genii. *Marsulli sunt verba, fingentis se videre in spelunca cacodæmones, ut majorem incutiat metum, & integram exprimat confessionem mendacii à Grallonio.*

7 *Grallonius jam meticulosior.*

8 *Urget Marsullus ingeniosum commentum, terrefaciendo Hospitem.*

9 *Grallonii clara confessio.*

10 *Subaudi, Lemurum. instat adhuc strenuè Marsullus.*

Intentant! cave sis. non tu resonantia sentis
Sibila? [1] Proveniunt patrio sub sidere fraga,
Ut crescunt aliis passim regionibus; Audis?
Et nihil à reliquis distant; intelligis? illis
Forte minora etiam. [2] Raptas post terga catenas
Non audis, sonitumque pedum? nervosa minaci
Impete jam ferulas attollunt brachia. [3] Fraga
Non sunt ut retuli. [4] Jam torquēt verbera. [5] Nō sunt,
[6] Astarioth, [7] Belzeb, Satan. [8] Discedite; non sunt.
Te, [9] viden, ut fune implicitum sævissimus unus
Adstringit medium! [10] Nō sunt, male perdite, nō sunt.
Omnia composito mentitus inania finxi.
Alterni jactant dum talia, lumine primùm
Sublustri extremæ patuerunt ora cavernæ;
Mox Cælo manifesta dies illuxit aperto.
Aspicere ut taciti solem, tristesque solebant,
Qui nigra fatidici coluissent antra [1] Trophoni;

1 *Apertè & rotundè Grallonius manifestat mendacium.*
2 *Marsullus simulato metu, urget rem feliciter excogitatam.*
3 *Subiratus Grallonius repetit confessionem Mendacii.*
4 *Marsulli verba, verberum terrorem injicientis.*
5 *Pavidè hæc, & non sine indignatione Grallonius.*
6 *Nomina Cacodæmonum ingruentium percenset Marsullus, ut extremo metu hominem percellat.* Astarioth, *pro* Astaroth; *metri gratiâ utitur pleonasmo.*
7 Belzeb, *pro* Belzebúb. *item metri gratiâ per apocopen.*
8 *Grallonius ad Cacodæmones.*
9 *Postremum hoc terriculamentum Marsullus adhibet.*
10 *Grallonius ad Malum Genium.*
1 Trophonius *subterraneum struxerat fanum in Lebadia, Bœotiæ regione. in illud Genium quendam immigrasse, qui oracula redderet, fama obtinuit. accedentes ad oraculum placentas gerebant, quas Lemuribus objicerent. Creditum autem, eos, qui ad Trophonii Antrum descendissent, per omnem vi-*

Non aliter pallet Grallonius. Occupat illum
Lætior, & dictis mulcet Marsullus amicis.
Erige jam frontem; casus evasimus omnes.
Nil hìc juris habent deterrima monstra. [2] Tremisco
Nunc etiam occursus, piceasque vomentia flammas
Guttura. [3] Vidistin? [4] Videor vidisse per umbram
Nescio quid. [5] Credisne ullo te verbere læsum?
[6] Suspicor: effregit nervos sic, ossaque prorsus
Contudit illa mihi Specus infestissima. [7] Quid si
Ulnis arreptum, [8] succollatumque tulissent
Ad postes Erebi, torvique ergastula Ditis?
An pulchrè factum reputas, in tempore quod te
Præmonui, gravius ne quid contingeret? [9] Illis
Multùm de monitis amo te. [10] Mercedula nulla
Interea tantis sed te servasse periclis,
Marsullum faciet memorem? Quin, accipe, dixit,
Nempe quod argẽti in promptu est.septemq; coruscos

tam nunquam videre solitos, metu Lemurum, & Anguium in specu occurrentium afflatos.

2 *Grallonius, periculo perfunctus, adhuc perturbato animo loquitur.*

3 *Marsulli interrogatio, Grallonii pavorem sibi delicias facientis.*

4 *Grallonius respondet, ad typum eorum, qui summo perciti metu ea videre se putant, quæ nusquam apparent.*

5 *Subjicit Marsullus ludio.*

6 *Grallonius non diffitetur verbera; quæ scilicet pavitanti animo metus facile suaserat.*

7 *Marsullus pro malefacto gratiarum actionem expetit ab Hospite.*

8 *Subaudi, Cacodæmones.*

9 *Grallonii gratiarum actio.*

10 *Claudit Marsullus fabulam in rem suam.*

Extulit [1] Urbanos loculis: quibus ille receptis,
Non Arabum gazis, Crœso non invidet ipsi.
Sic, postquam Ausoniæ mores lustravit, & Urbes,
Contendit patrias iterum Grallonius oras,
Itala quem posthac fecerunt Antra modestum.
Ad [2] Sobolem Anchisæ redeo, cui maxima Crete
Effuso risa est [3] Hecatompolis ore. quid urbes
Nam centum numeret, vix computet oppida septem
Cum digitis? rudis ampullas sed credidit ætas:
[4] Tragula cæca fuit tantùm fallacis Homeri.
Ergo ubi [5] Bacchæi laticis se proluit undâ,
Vinetis generosa creat quem Creta beatis,
Tendit vela Notis. dispersas æquore terras
Prælegit, Ægæo in magno, quas turpis [6] Aello,
Ocypete sævis quatiens clangoribus alas
Quas colit, immundique gregis Regina Celæno.
Unguibus hìc [7] volucrum laceratus turpiter ora,
Turgentes oculos nitido perfundit olivo,

1 *Numismata, pecuniam, Urbani Pontificis effigie, aut stemmate signatam.*

2 *Ad Æneam, & interpellatam ejus navigationem.*

3 *Creta, centum civitates habens, ut ab Homero passim vocatur.*

4 *Teli genus, à trahendo. item genus retis, qua significatione hìc accipitur.* At volui injicere tragulam in nostrum senem: Plaut. *sensus est. Quod centum præstantes Urbes Creta Insula non ita magno circuitu contineret, tum absurda alia de Cretensibus multa, credidit rudis ætas: tam occultè, cautèque Homerus, & fabulatores alii suo cantu, veluti cælatâ injectâ tragulâ, populos irretiverunt, eorumque simplicitate abusi sunt.*

5 *Vino Cretensi generosissimo.*

6 *Aello, Ocypete, Celeno, Harpyiarum nomina.*

7 *Harpyiarum.*

[8] Emplastroque tegit. Spectas hæc æthere ab alto,
Dic age, [9] Diva parens? vultus an tu quoque rides
Perfusos liquente rosa, & plantagine crassa?
Ictibus his Heros [10] adversa fronte receptis,
Pergit ad Ambraciæ portus, [1] cognataque Regna
Andromaches. acri præstantes nare [2] Molossos
Hinc retulit. quid enim? fido comitatus Achate,
Errantes septem cum fixit arundine cervos,
Ingressus Libyam, rimanti tecta ferarum
Nulla Lycisca comes fuerat, nullusque Melampus?
Non credam. At Libyco quoniam de littore dixi,
Prætereo ambages longas, flexusque viarum,
Grajugenasq; domos [3] Calabrûm, [4] Castrûq; Minervę,
Et quæ mollis [5] Hydrus, & quæ piscosa Tarenti
Otia littus habet, [6] Spartano nota Phalanto.

8 *Quod ex diversa succorum mistura conficitur. ut hoc, ex oleo, aquâ rosaceâ, & succo plantaginis, Æneæ oculis & vulneribus refrigerandis.*

9 *Itane passa es deformari filium? an tu etiam turpitudine illa cerussati vultus delectaris?* Ironicè.

10 *Ut decebat scilicet strenuum bellatorem.* Ironicè.

1 *Epirum, ubi Regnum adepta erat Andromache, Uxor Heleni, Æneæ affinis.* Ambracia, *Civitas in Epiro.*

2 *Canes Epirotici laudatissimi. & Molossi quidem dicti à Molossia, regione Epiri. inde igitur canes jocosè fingit avexisse Æneam, qui propediem cervos erat venaturus in Libya, ut narrat* Virg. l. 1.

3 *Quas colebant oras Calabri, & Salentini, confecto bello Trojano, renavigantes Græci tenuerunt.*

4 *Oppidum apud Salentinos in Mari Jonio, & extrema parte Italiæ.*

5 *Quæ & Hydruntum dicitur. Oppidum in veteri Calabria: nunc in Regno Neapolitano florentissimæ Provinciæ caput.*

6 Phalantus *Lacedæmonius, Apollinis jussu in Calabriam advectus, Tarentum ibi vel condidit, vel auxit.*

Cor habet [7] Eurotæ civis: non ille [8] Corœbus,
Nec [9] Bœotus erat, qui [10] ſtrombos, oſtrea, mullos,
Et ſaturas [1] ſucco teſtas ardente ſequutus,
Poſthabuit [2] nigram patriæ ſalſuginis ollam.
Hinc digreſſa domos Cyclopum Troia claſſis,
Et fontes, [3] Arethuſa, tuos prætervolat; amnis
Inceſtis [4] Elæus aquis quam cominus urget.
Non ſatis eſt igitur Siculos igneſcere montes?
Deterior multò eſt mediis in fluctibus ardor;
Et peregrina novas adducunt flumina flammas.
Jamque tenet victrix Nomadum magalia; morſu

7 *Lacedæmonius*, Eurota, *Spartanorum fluvius*. Cor habet: *non deſipit. ſenſus autem eſt. non inſcitè fecit Phalantus Spartanus, qui præſtantiſſimis piſcibus oræ Tarentinę mutavit ollam Spartanam, de qua infra.*

8 *Adagium in ſtupidos, & vecordes, a quodam Corœbo, qui maris undas numerare aggreſſus, ultra quinque progredi non potuit.*

9 Bœotia, *Græciæ regio, vel ſoli craſſitie, vel pinguedine ingeniorum ita appellata.* auris Bœotica, *adagium de tardis, & craſſis ingeniis.* Bœotum in craſſo jurares aere natum. Horat.

10 *Piſces teſtaceos ſapidiſſimos.*

1 *Echinos intellige, genus piſcis teſtacei, cujus tegmen ſpinoſum, caſtaneis ſimillimum: interius medulla rubri, accenſique coloris, æqualibus veluti radiis in gyrum diſcriminata continetur.*

2 Olla Spartana, *ſive* Jus Spartanum, *quod cum faſtidiret Dionyſius Siciliæ Tyrannus, monuerunt meritò Lacedæmonii, eam ollam indigere condimento; fame ſcilicet quæſita pugilatu, curſuque ad Eurotam.*

3 *Nota eſt Fabula de Arethuſa, à Diana in fontem converſa, & Alphæo Elidis amne illam uſque ad oras Siciliæ inſequente.* Ovid. l. 5. Met.

4 *Alphæus, Elidis in Arcadia fluvius.*

Dardana jam Libyæ portus tenet anchora, poſtquam
Antennas, remos, [5] acroteria, tranſtra, carinas
Invida fregit hyems, movit quam vendita vultu
[6] Deiopeja ſuo. celſæ Carthaginis arces
Rhœtæus [7] Ductor, nebulæ velatus amictu,
Surgere miratur tacitus, Sidone profecta,
Maſſylis populis & quas dat [8] fœmina leges,
Et demum quidquid bis centum [9] Mantua mendax
Occupat ante annos, Tyriis ut Fabula ſurgat
Major ab [10] auſpiciis. tanti eſt vectare per undas
Romani caput Imperii, gentiſque togatæ.
 Sed Jovis Imperium, Tyriis majoraque fata
[1] Connubiis, iterum taciturna nocte per altum
[2] Fœdifragas rapuere rates. fruſtra effera Dido
Perjuro incumbit [3] capulo, celſoque recumbens
Dat gemitus furiata rogo. Trinacria rurſus
Arva petit; ſiccum quo ſolvens littore funem,

5 *Roſtra, & ornamenta Navium.*

6 *Senſus eſt. quam procellam movit Æolus, illectus nuptiis Deiopejæ, Nymphæ Junonis.* Virg. l. 1.

7 *Æneas.* Rhœtæum, *Trojæ Promontorium.*

8 *Dido, e Phœnicia in Africam profecta, ubi Carthaginem condidit.*

9 *Virgilius fabulator. notus eſt Poetæ anacroniſmus, qui Æneæ æqualem facit Didonem, quæ annos amplius ducentos ab Æneæ obitu nata eſt.*

10 *Ut ſplendidius Poema ſuum faceret, innexis primordiis Imperii Carthaginienſis.*

1 *Sed aliò Æneam vocabant fata, & Sponſam illi Didone clariorem in Latio deſtinabant, Laviniam, Latini Regis Filiam.*

2 *Naves Æneæ Deſertoris.*

3 *Enſi Æneæ, qui fidem traditam violaverat.*

Succedit portu, celeres ubi [4] Græculus alas
Exuit. imbelles quam cursu præpete, quanta
Decessisse putas Cæli regione columbas,
Nubila Cecropius cum [5] Milvius alta teneret,
Stultaque [6] conductis rideret retia pennis?
Hinc vero lucis, stagnoque immissus [7] Averni,
[8] Deiphobe monstrante viam, & prædivite ramo,
Appulit Elysios: ubi fortia facta suorum
Audiit, illustrem [9] genesim, seriemque Nepotum,
Et docto Genitor miranda [10] Platonicus ore
Quæ retulit. muscosa subit tum littora, nomen
Queis [1] nutrix longœva dedit, fortissima Teucras
Inter anus: pugnas Italas, Martemque sequuta,
Non illa ad Siculam sociis cum matribus Urbem
Substitit, annosi nec mœnia curat [2] Acestæ.

4 *Dedalus Atheniensis, qui, fabricatis alis, ex Cretensi labyrintho Cumas evolavit.* Virg. *6.*

5 *Dædalus, quem ingenti corpore, magnisque volantem alis, tanquam inusitatæ magnitudinis milvium, pavitasse dicit aves obvias.*

6 *Mutuatitiis, utpote quas ab aliis avibus quæsierat, & detraxerat.*

7 *Lacus Campaniæ, silvarum densitate, & aquæ sulphureæ odore gravissimus, ita dictus quod prætervolantes aves enecaret. Plutoni idcirco sacer fuit; & quoddam est creditum Inferorum spiraculum.* Servius.

8 *Nomen Sibyllæ Cumææ.*

9 *Usitatiùs pro ea siderum conversione, qua quis nascitur.* Inspecta Genesi collyria poscit. Juven. *Hic pro genealogia sumitur.*

10 *Quòd ex doctrina Platonis multa filium in Elysiis docuerit de Mundi, & animorum origine. Vide* Virgil. Æneid. *6.*

1 *Cajeta.*

2 *Qui Æneam in Sicilia hospitio excepit. apud quem Tro-*

[3] Littoris Andini lux inclyta, maxime Vatum,
Fare, age, quo noster læsit te crimine tanto
[4] Sebethus? despectus abit cur ille? nec ullo
Hospitio meruit [5] Phrygias admittere puppes?
Præteritam graviter, si nescis, fertilis ora
Se feret, & memores acuet vindicta Colonos.
Dic verò, Anchisæ & Veneris generosa propago,
Si magno [6] Alburni saltus, Lucanaque rura
Funere nobilitat, qui celsa in puppe [7] Magister,
Lumina lethæo perfusus rore, sedebat,
Et mersus mediis vix dum vigilavit in undis;
Si [8] Tubicen vitamque simul, buccasque reliquit
Littore Cumæo; si proxima possidet arva
Dulcis [9] anus, pupum quæ te de more gementem
Mulcebat cantu, denudatâque mamillâ;
Hospita cur nulla clarescit morte tuorum
Parthenope? cur non Pistor, Pincerna, Bubulcus,
Cur Auriga, Coquus, cur non his denique Fullo

janæ Matres, & invalidi quique Sociorum Æneæ substiterant in Urbe Acesta, recens conditâ, quæ etiam Segesta est dicta. Urbem appellabunt permisso nomine Acestam. Virg.

3 Andes, *pagus prope Mantuam, in quo Virgilius est natus.*

4 *Fluviolus apud Neapolim, Poetarum carminibus, quàm aquarum copia clarior.*

5 *Amicè, & jocosè queritur cum Virgilio, cur, hospitio suæ classis, & sociorum funeribus, tot illustratis oris Italiæ, silentio prætererit eam Campaniæ partem, ubi Neapolis, Authoris Patria, sita est.*

6 *Mons Lucaniæ, ubi Palinurus miserè cæsus.* Et lucos Sylari circa, ilicibusque virentem plurimus Alburnum volitans. Virg. Geor. 4.

7 *Palinurus, Æneæ Prætoriæ Gubernator.*

8 *Misenus, Tubicen bellicus, Æneæ socius.*

9 *Cajeta, Æneæ nutrix..*

Emoritur campis, & terram nomine ſignat?
Lethiferi an Siren cantus dulcedine lato
Inſidias molita mari, tua vela retardat?
Sed non hæc paveas cauto tu major Ulifſe.
An flammas metuis, quas volvit [10] Veſvius? ignes
Nimirùm, patriâ incensâ, Xanthoque profectus
Vidiſti [1] nunquam. Sed ſunt ſubtiliùs iſta
Qui quærùnt, penituſque tui, Maro, noſcere cauſas
Conſilii ſe poſſe putant. A finibus iſtis
Vela Ducis Phrygii removes; uberrima Regna
Qui ſi vidiſſet, ſaturos & nectare colles,
Oblitus Latios Colles, Laurentiaque arva,
Figeret hìc ſedes: alios à ſtirpe Nepotes
Hìc illi, Curioſque alios, alioſque Camillos,
Scipiadaſque alios bello daret inclyta tellus.
Hìc Maris illecebris, Cæli & dulcedine captus,
Maximus ille Tybris gleba quos ubere ſpondet,
Deſpiceret campos, & pigri ſtagna [2] Numici.
Quamvis non magni titulis, nec honore ſepulchri
Terra caret. raucus non has Miſenus arenas,
Nec Palinurus habet; non culta virentia fœdat
Informis [3] Vetulæ, [4] depontanæque cadaver.
Tu, Maro, Pieridum tu gloria prima Sororum,

10 Veſuvius, Veſevus, *& per Syncopen* Veſvius. *Mons prope Neapolim, fertilitate, & incendiis clarus.*

1 *Ironicè.*

2 *Fluviolus in Latio, e Triviæ lacu, hodie Nemorenſi, prodiens: ex quo via Numicia, Brunduſios ducens. Idem apud* Ovid. Numicius.

3 *Cajetæ Nutricis. ut ſupra.*

4 *Effœta ætate Senes, Depontani dicebantur; quòd de ponteeos dejicere moris erat.* Feſtus.

Nobile

Nobile [5] Campana funus tellure jacebis.
[6] Mincius & cunas si præbuit inter Olores,
Perpetuis Siren decorabit cantibus Urnam.
Ad cineres ludent (ea non invisa Camænis
Ora reor) dulcesque dabunt modulamina cycni.
Quin etiam tempus veniet, cum ludicra Vates
Plectra movens, patrio divinam Æneida cantu
Lætos Sebethi colles resonare docebit,
Et tua, dulce canens, hilarabit busta [7] Sitillus.
Sed me dum patriæ metâ procul abripit ardor,
Æneas Anchisiades Tiberina fluenta,
Umbrosasque tenet ripas. jam [8] mœnia condit,
Et nova magnanimo designat Pergama sulco.
Rivalem [9] Rutulum Latiâ dum submovet aulâ,
Dum, desueta novis incendens pectora flammis,
Solicitat latè populos, & fœdera jungit,
Juno quid interea? ride. demissa precatur
[10] Eumenides: dextræ patitur conjungere dextram:

5 *In Ora scilicet Neapolitana, ubi Virgilii sepulchrum adhuc visitur.*

6 *Ortus ex Bænaco fluvius, Mantuam, lacum efficiens, circuit. mox in Padum defluit: cycnos alere dicitur.*

7 *Nicolaus Stigliola, Societatis Jesu, Virgilianam Æneida, octonariis modulis, vernaculâ Neapolitanorum linguâ vulgavit, adscito nomine Joannis Nicolai Sitilli,* Giancola Sitillo. *Joannem dixi Nicolaum; nam* Joancolam *audire refugerint aures delicati Lectoris. Sed ita scribere non dubitavit, haud sane indiligens cæteroqui, Joannes Antonius Campanus,* Epist. l. 1. ult. Caldarine mi, salve millies. Venerunt ad me agmine propinqui tui, cum *Joancola* nostro.

8 *Novam Trojam prope Tiberim.*

9 *Turnum, adversus quem pro Lavinia in matrimonium ducenda certamen suscepit.*

10 *Alecto à Junone rogatur, ut suam adversus Trojanos cau-*

Non pudor est humeros horrentes, atraque colla
Stringere complexu, non oscula figere sævis,
Qui pendent Furiæ pexa de fronte, colubris.
Deprimat effrenata magis quod pectora turpi est
Ambitione nihil. vilescunt scilicet omnes
Sponte priùs, qui summa petunt; servire nec ulli
Ille negat, qui se cuiquam præponere certat.
Denique cum frustra flagraret pectus [1] Amatæ,
[2] Irritus & coluber quateret præcordia Turni,
Qui demum, [3] tabulis frustra sponsalibus actis,
Ulmeus utque jacens, [4] vitis sine palmite, truncus,
Cum gemitu Stygias fugit indotatus ad umbras;
Laurentes agros dum Troius occupat Hæres,
Lætaque Dardanias celebrat [5] Lavinia tædas;
Respicit ad laqueum Juno, nec sidera curat.
Sed priùs adstricto nectat quàm vincula collo,
Projicit indecores celso de vertice vittas,
[6] Reticulum jacit, [7] armillas, [8] caliendra, [9] tiaram;

sam sustineat. Virg. 7.

1 Amatam, *Latini Regis Conjugem, occultis stimulis Alecto in Æneam, & Trojanos commovit.* Virg. ibidem.

2 *Cujus pectus injecto angue Alecto efferaverat.*

3 *Quibus de Laviniæ nuptiis cum Latino pepigerat.*

4 *Exclusus à Laviniæ nuptiis, & Regni successione; stratus ab Æneæ gladio, jacensque ereptâ Laviniâ, ut truncus sine vite sociâ.*

5 *Æneæ matrimonio juncta.*

6 *Fascia linea, in modum retis facta.*

7 *Ornamenta brachiorum.*

8 *Muliebre capitis ornamentum.* altum Saganæ caliendrum excidere. Horat.

9 *Ornamentum capitis, Persicorum propriè Regum. hìc, per usurpationem, de Junonis diademate dicitur.*

Immensùmque furit: qualis per compita sæpe
Infima sævit anus, geminæ cui verbere palmæ,
Raptaque ploratur laceris gallina capillis.





SATYRA IV.

Ejusdem Argumenti.

ARGUMENTUM.

ATlantis, Cælum fabulosum Deosque sustinentis, levissimam esse sarcinam. Apollo Pastor, & cæmentarius. Non à Diis Penatibus Æneam in Bello Trojano, non Amphiaraum ab Apolline in Bello Thebano servari potuisse. Psaphon Deus creatus à Psittaco. Quam ridiculè Alexander Macedo egerit cum Jove Ammone. Romani Serpentem Æsculapium colunt. Minerva è Jovis cerebro nascitur.

SI nugis præstanda fides, Auditor, Achivis,
Majores habuit Calabro [1] Milone lacertos

1 *Milo, Crotone natus, quod vetus est magnæ Græciæ Oppidum, athleta fuit admiranda virium firmitate, de quo plura invenies apud* Gellium c. 15. l. *16.*

Cælifer ille [2] Senex, Libycæ dominator arenæ.
[3] Virgilias,[4] Taurum,[5] Lacedęmones,omnia demum
Sidera nam fulcit cervice, Jovemque prementem.
Quæ latera, enormesque humeri! quàm ferrea duris
Colla thoris! viridis quàm robora cruda senectæ,
Quæ tantam possint humeris attollere molem!
Nam tu si [6] Pelusiacam revolubile Cælum
Esse putas cepam, male conjicis; exprimat illud
Tristibus ista licet [7] tunicis, & mole [8] rotunda.
Stellatum nec grana putes [9] coriandrina tectum,

2 *Atlas, Mauritaniæ Tingitanæ Rex, qui primus omnium Cælestium orbium motus scrutari cœpit: in montem sui nominis commutatus, vel hujus altitudine, vel pristino Astrologiæ studio, Cælum sustinere humeris dictus est.*

3 *Stellæ sunt in fronte Tauri, Hyades, & Plejades appellatæ, etiam Vergiliæ, quod circa vernum Æquinoctium matutino tempore oriantur.*

4 *Signum cæleste. sub hujus Tauri forma fabulantur Poetæ à Jove raptam Europam.*

5 *Signum cæleste Geminorum, Castoris & Pollucis, quorum Patria Lacedæmon, Oppidum Peloponnesi.*

6 *Sensus est. immensis quibusdam viribus valuisse Atlantem oportet, qui Cælum cum Diis regeret. falleris enim, si Cæli Machinam talem esse ducis, qualem aut cepam putares, aut semen coriandinum saccharo obtectum; licet aliquam Cæli similitudinem referant utriusque tunicæ, & rotunditas.* cepa Pelusiaca, *idest Ægyptia, à Pelusio Ægypti civitate.*

7 *Tristes dixit ceparum tunicas ab acrimonia, ut Virgilius tristes lupinos ob amaritiem.* Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini Geor. 1.

8 *Extat, suppresso Authoris nomine, non illepidum carmen Italicum de cepæ laudibus, in quo vel ideò plurimum illi tribuitur, quòd tunicarum involucris Cælestes orbes repręsentare videatur.*

9 *Cæsar Caporalis scripsit summo lepore Carmen Italicum de*

Sacchareis obducta favis; quibus Ætheris orbes
Explicat arguto festiva [10] Perusia versu.
Usque adeone vetus, dices, insaniit ætas,
Tantum oneris senis annosi quæ credidit ulnis,
Curandum cui prçcipuè, semperque cavendum
Ilia ne quatiat singultu, pectora tussi?
Nam si tota tremit latis Trinacria campis,
[1] Encelado mutante latus, quam pulsa ruinam
Sarcina tanta dabit, [2] Maurusius ille Deorum
Bajulus erecto si captans aera collo,
Majorem [3] Inarimen, majorem excusserit Ætnam?
Hæc reor objicias. nitidis sed demere rebus
Si fucum properas, & rem perspexeris intus,
Sarcinulâ levius tu nil miraberis illâ.
Ungula, pluma, culex, scarabæus, fœmina demum
Est gravior. dubitet si quisquam, Ægyptia rura
Visere ne mecum pigeat; tunc dicere contra
Nil ausus, dedetque manus, & [4] porriget herbam.

Coriandri semine saccharo obducto. Ait autem eo semine saccharato Sphæræ similitudinem contineri. nam Zonæ Cælestes sacchareis bracteolis exprimuntur, terra autem, medium obtinens locum, ipso semine coriandri significatur.

10 *Cæsar Caporalis Poeta Perusinus.*

1 *Ita* Virg. Ænei. 3. & fessum quoties mutat latus, intremere omnem murmure Trinacriam.

2 Maurusius, *idem quod Maurus.* Bajulus Deorum, *Atlas.*

3 *Inarime, Insula non procul à sinu Puteolano.* Virg. 9. Ænei. Inarime Jovis imperiis imposita Typhœo. *Majorem Inarimen dicit Cælestes globos.*

4 Herbam dare, vel porrigere *illi dicimus, quem victorem agnoscimus. Ab ijs, qui in lucta superati herbam ex eodem loco decerptam victori porrigebant. Hunc morem etiam nunc multis in locis Palestritæ & agrestes luctatores usurpant. Idem*

Arcanum caput est [5] operæ cognoscere Nili.
Nam pudor obnubit frontem, ex quo Numina vidit,
Turpi victa metu, verti in vilissima rerum.
Dum Cælum latè domitum Titanes [6] haberent
Undique, & hirsuto servirent astra Typhœo,
Infima terrarum quærebat turba Deorum
Exul, inops, posset certamina [7] Terrigenarum
Ut fugere, à tergo [8] accipitres vitetque sequentes.
Niliacis postquam sed nil demissius agris
[9] Conspicit, huc trepidamq; fugam, cursumq; per auras
Dirigit, optatæ gremioque potitur arenæ.
At non hic pictis Memphitica rura [10] phaselis
Prævehitur; non Pyramidum miracula lustrat,
Et ridenda tegunt [1] Pharios quæ bulla Tyrannos.

sonat, manus dare, *vel* dedere. Horat. Epod. Jam jam efficaci do manus scientiæ.

5 Est operæ, *supp le* pretium. *Ita* Ennius apud Pers. Sat. *6*. Lunai portum est operæ cognoscere cives.

6 Gigantes bis Cælo vim intulisse constat apud doctos. & primò quidem prælio Deos in Ægyptum fugere, ibique varias formas induere coegerunt. Viribus tamen resumptis, & novo Heroum, atque Herculis præsertim auxilio, altero illos prælio Juppiter fulminibus disjecit. De primo certamine Author hic loquitur. Deorum verò mutationem in Ægypto aliam ipse comminisci, quam à fabulatoribus traditam sequi maluit; præsertim cum Authores hic inter se multùm discrepent.

7 Terrigenæ, *Gigantes terræ filii.*

8 Accipitres *dicit Gigantes, qui Deos, tanquam pavidas Columbas insequerentur.*

9 Satis constat, Ægyptum loci situ esse admodum depresso. idcirco ea loca Dii tenuerunt, infima quæque scrutantes, ut tutiùs delitescerent.

10 *Respicit ad Virgilii versum de Ægypti populis.* Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.

1 *Pyramides, & Obelisci immani sumptu Ægyptiorum Re-*

Sed magis ut lateant, rimanti cuncta nec illos
Olfactu Phlegræa queat deprendere [2] turba,
In nova divinas commutant corpora formas.
Et primùm facie se Juppiter ipse canina
Occultat. Lepores Ægyptum tempore ab illo
Fugerunt [3] omnes: gaudentes sanguine fauces
Nimirum, morsusque timent latrantis [4] Anubis.
Umbonem, thoraca, sagum, galeamque comantem
Simioli corio mutas, Gradive, petulci;
Inque dies solitus centum sudare duellis,
Ad nucis oblatæ præsegmina vilia curris.
Sed loricatum squamis [5] crocodilon acutis
(Niliacis res digna annalibus) occupat [6] Evan,
Fontibus iratus Nymphisque; doletque ferinos
Non vultus, amissaque sidera, sed quòd amico
Non natet in musto saltem, sed [7] cælibe Nilo.
Noctua Mercurius, fit [8] cercopithecus Apollo;
Utque olim tumuit radiantum luce comarum,
Sic modò festivo plaudit sibi verbere caudæ.

gum tumulis attollebantur. Vide Commentar. in Martial. Epig. 1. l. 1. Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.

2 *Gigantes Phlegræ filii.*

3 *Lepores Ægyptus non habet. ejus rei causam Author ad Jovis mutationem in canem refert.*

4 *Anubis, Ægyptiorum Deus in formam Canis. plerique Mercurium esse volunt, quòd nihil sit cane sagacius. Longè aliter sentit* Plutarch. in Iside. *in re dubiâ & sua comminisci Author potuit.*

5 *Crocodilus, quadrupes horrendæ magnitudinis aquaticus, & terrestris.*

6 Evan, *Bacchi nomen passim obvium apud Poetas.*

7 Cælebs *dicitur vir sine uxore, Mulier sine marito vivens. hic per usurpationem, aqua sine vini mistura.*

8 *Cercopithecus, Latine Simia caudata.*

Hic aries, vervex ille exit, corniger aut bos.
Omnia commemorem frustra quæ [9] Plinius, aut quę
Verbosus longa Plutarchus in [10] Iside dixit.
Sed bona pars Superûm, [1] petasoni inimicaque [2] pulpę,
In viles abiere fabas, tenuisque phaseli,
Et viciæ calamos: tunc primùm cognita pisa,
Notaque tunc sapidâ cum lente cicercula primùm.
Hìc, [3] Maro, rura canens, toto jam pectore clama.
O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! glebas Ægypti Numina opimant
Fruge nova, segnesque, pudor! coluere novales.
[4] Quòd si non aliam venturis fata lupinis
Invenere viam, magnoque perenne paratur
Lentibus imperium, siliquis & [5] Pythagoræis;
Jam nihil, ò Fortuna, queror: jactura Deorum

9 *De Diis Ægypti scripsit* Plin. par. 1. l. 8.

10 *Plutarcus Opusculum habet de* Iside. *dum* verbosum *illum dicit, dictum referas ad solum, quod retuli, Opusculum de Iside.*

1 Petaso, *caro porcina, quæ coxam comprehendit.*

2 Pulpam, *carnem dici Donatus docet, quia pulsatur, & conscinditur.*

3 *Virgilii versus est.* Georg. 2. O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas!

4 *Sequentes versus ad ridiculam Deorum conversionem in varia leguminum genera, per jocum, detorquent Lucani invocationem ad Neronem. libet autem Lucani versus apponere, qui initio Pharsaliæ sic leguntur.*

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque æterna parantur
Regna Deis, cælumque suo servire Tonanti
Non nisi sævorum potuit post bella gigantum:
Jam nihil, o Superi querimur: scelera ipsa, nefasque
Hac mercede placent.

5 *Siliquas Pythagoræas, fabas dixit; quòd ab harum esu*

Hac mercede placet: jaceant, lateantque licebit
Diique Deæque omnes, ficca ut jejunia lentes
Excusent, gratas & odorent Sabbata pultes.
Nobilis Ausoniæ Juvenes, cum læta propinquant,
Humanos mutant quæ Bacchanalia vultus,
Non est cur mediis [6] Urbem quæratis in undis,
Saxea [7] Medoaci tendunt ubi brachia portus.
Pascua quin potius petitis Nilotica? vestris
Urbibus, exultat Baccho cum lætior annus,
Larvati incedunt homines; regionibus illis
Numina personam sumunt, vultusque ferinos,
Et deturpatis præbent spectacula caudis.
Non tales dederit lusus, risusque ciebit
[8] Morio, qui pictam tabulam curvamque coruscat
Pro gladio; cujus pannosæ lana lacernæ
[9] Centonata bibit centum, variatque [10] colores.

abstinuisse feratur Pythagoras. Sed aliter alii interpetrantur ejusdem dictum illud, à fabis abstineto. *monuisse autem contendunt, ut à tractandis Reipublicæ muneribus abstineremus; nam fabis pro calculis veteres utebantur in ferendis suffragiis. Vide* Plutarc. de liber. educan.

6 Venetias, *quò Viri nobiles per Italiam itare solent, præcipue feriis Bacchanalibus; quæ summo ornatu, & frequentia ibi peraguntur.*

7 *Medoacus portus apud Venetias.* Malamocco.

8 Moriones *dicuntur fatui homunciones, qui risus causâ solent esse in pretio.*

9 Centones *dicuntur particulæ panni, ex quibus acu consarcinatis fit stragulum. hinc* vestis centonata, *quæ ex variis panniculis, ac diversis plerumque coloribus consuitur. Hinc etiam scripta variis Authorum fragmentis contexta,* centones *dicuntur; cujusmodi, si verecundiam non desiderares, pulcherrimum esset Ausonii Poema, Virgilianis frustis coagmentatum. excelluit in hoc genere Proba, Christiana Poetria. Inter Itali-*

Sed neque consimiles ventrosus alumnus [1] Acerræ
Excierit plausus, albo qui corpora sacco
Involvit, jactatque manus, sublataque crura,
Et populo vendit præpingue sonantia verba.
Ex illo nihil est usquam tam turpe, pudendum
Ex illo tantum nihil est, assumpserit ultro
Fictilium quod non Superûm furiosa libido.
Ille lyrâ, jaculisque potens crinitus Apollo
Mollis ad Amphrysi [2] caprarius assidet undas,
Admetique greges pascit, niveosque juvencos:
Pelle tegit, cyclas quos lucida texerat artus,
Et baculo ignipedum frenos permutat [3] equorum.
Rebus in ambiguis frustra responsa petentes
Poscebant populi surdos oracula Delphos;
Nam latet inter oves Lycius, [4] Clariusque Magister:
Non casus belli varios, non prælia curat;
Maxima pollicitus neç Regnis prodere fata,

cos Poetas jucundè legi Centones Julii Bidelli ex Italicis Petrarchæ versibus consarcinatos. sed fusius ista persequi non est nostri instituti, qui non commentarios ad erudiendum Lectorem, sed notulas scribimus ad ea, quæ indigent explicatione.

10 *Sensus est. non similes tibi risus conciverit Scurra feriis Bacchanalibus personatus, qui ligneum, depictumque gladium, vestem verò variis panniculorum tesserulis consarcinatam gerens, Bergomatum linguam & sales imitatur.* Zanni.

1 Acerra, *Oppidum est Campaniæ, unde originem trahere feruntur scurræ, qui simulata stoliditate, porrectiore naso, crassiore lingua, involuti subalbido sacco infimæ plebi delicias faciunt.* Pulcinelli.

2 *Notum est, Apollinem pastoritiam vitam egisse, cum Admeti Thessalię Regis greges pasceret ad amnem Amphrysum.*

3 *Equos Solis, ipsius utique Apollinis, intellige.*

4 *Lycia, regio minoris Asiæ, & Claros Joniæ civitas, Apollinis oraculo nobiles.*

Tendit inexplicitos obſcuro carmine [5] griphos;
Sed querula tenerum diſpergit arundine carmen,
Teque, Nerina, canit, vel te, formoſa [6] Philæni.
Ille etiam ſtructor fit [7] cæmentarius [8] Urbem
Ad Phrygiam: ſociatque manus, urgetque laborem
Neptunus, pelago ſubvectans ſaxa relicto.
Interea conjuratæ ſine Rege procellæ
Effuſæque fremunt hyemes. dum naufraga turba
Ejulat, ingeminant nautæ dum vota preceſque,
Foſſilis aut cribro cumulos [9] ſuccernit arenæ,
Aut lateres validis humeris apportat, & undas:
Et nunc ingentes lapidum componit acervos,
Nunc calloſa rudes [10] trulliſſat dextera muros.
Nautarum queſtus & murmura non ſecus audit,
Quàm Capitolino reſonantia claſſica clivo
Æneus in medio qui cernitur, [1] Antoninus.
[2] Tu modò cur pugnis frontem, cur Phœbe, capillos
Unguibus invadis miſeros, & pectora pulſas?

5 Griphus *genus eſt retis. pro ænigmate poſuit* Gell. l. 1. c. 2.
6 Nerine, Philænis, *notę apud Authores fœminæ. pro quacunque puella hìc ponuntur.*
7 Cæmentarius. *Ædificiorum ſtructor.*
8 *Laomedon Phrygiæ Rex, extruendis Trojæ mœnibus Apollinem, & Neptunum conduxit.*
9 Succernere, *idem quod cribrare.* Cato. 18. calcem cribro ſuccernere. arena foſſilis, *ſeu* foſſitia. *vulgò* Pozzolana.
10 Trulla, *inſtrumentum cæmentariorum, tectoriis complanandis.* Cucchiara. *hinc* trulliſſare *apud* Vitruv. l. 7. c. 3.
1 *Statua Equeſtris ænea Marci Aurelii Antonini, in area Capitolii.*
2 *Apollinem affatur his verbis, quem inducit miſeris queſtibus incuſantem Laomedontem Phrygiæ Regem, qui ædificandis Trojæ muris conductum Deum pactâ mercede fraudaverat.*

Tu luges, [3] trimus veluti cum perdidit olim
Poma levesque nuces puer, aversusque refugit
Amplexus, matrique negat [4] lallare repulsæ.
Prome tamen, quæ causa genas corrumpere luctu
Tanta potest, Cælique, nefas! contristat [5] ocellum:
Mellitos globulos, pictasque merebere [6] pupas.
[7] Reddere Laomedon Trojæ pro mœnibus altis
Mercedem pactam malefidus pernegat. eheu!
Divinis quòd frustra humeris cæmenta ferebam
Bajulus Iliacæ plebis, Regisque superbi.
[8] Hoc est quòd palles? quòd questibus occinis, hoc est?

Horat. l. 3. Od. 3. ex quo destituit Deos mercede pacta Laomedon.

3 Trimum *dicimus quod est trium annorum, ut* bimum, *quod duorum.*

4 Lallare *veteres dicebant infantes, cum cantillantibus nutricibus somnum capiebant.* Pers. Sat. 3. iratus mammæ lallare recuset. *hinc* lallum, *certum quoddam nutricum modulamen consopiendis infantibus.* Auson. Epist. 3. Nutricis inter lenim ata, lallique somniferos modos.

5 *Solem, Cæli mundique oculum.*

6 Pupa, *à puella dicitur.* Martial. l. 4. pupam se dicit Gellia cum sit anus. *hinc pupilla, & pupula. quæ voces etiam pupam parvulam, sive puellulam significant. ideo verò significant etiam nigrum, brevissimumque circulum in medio oculi, quia in illo puelli sive puellæ imago conspicitur. Vide* Voss. Ethym. *Hìc verò pupas accipit pro pictis illis imagunculis, & sigillis, quibus lusitare, & oblectari cernimus pueros. Eas icunculas puellæ, exactâ pueritiâ, Veneri dicabant.* Pers. Sat. 2. Veneri donatæ à Virgine pupæ. *Agit Author cum Apolline, tanquam cum puero, spondetque illi pupam, si fletus sui causam eidem aperiat.*

7 *Apollo respondet.*

8 *Iterum Author ad Apollinem.*

Sed [9] Phryga perjurum fidei, fraudesque futuras
Noscere debueras, promens oracula cum sis,
Et [10] Milesius & Delphis notissimus augur.
Fatidicos tripodes, [1] velaria sacra, lebetes,
Divinamque specum, te demum consulere ipse
Cum poteras, sortesque tuas. quis non Mare Cælo
Misceat, & dignùm doleat, si Sutor Alippus
Nummos extricet nunquam à Labeone, coactus
Ad [2] pontem clausâ jam mendicare tabernâ?
Nempe quòd incautum fallit caligo futuri,
Corporis & pingui in nebulâ præsagia rerum
Ignorant homines; nec qui sint reddere prompti,
Anteriùs callent, [3] mala nomina quique futuri.
Hinc nos exercent incerta pericula. verùm
Quis ferat, ò populi, de Laomedonte querentem
[4] Sortilegis Vatem promentem oracula Delphis,
[5] Pythia cuique domi, cortinaque præscia veri?
Nunc, quoniam Iliaci pervasit mentio muri,
Heus age, Pegaseo frenos impone caballo,
Calliope; & mediâ propera me sistere Trojâ.

9 *Laomedontem Phrygium.*

10 *Oraculi Apollinis Milesii meminit* Apul.l.4. de Asin. aur. Milesius, *adjectivum est à Mileto Joniæ, aliis Cariæ Urbe.*

1 Velaria, *vela sunt, quibus theatrum supernè obtegitur.* lebetes, *vasa erant mystica, quibus oracula edebantur. de tripode vide* Satyr. 3. pag.75.

2 *Pontes Urbani mendicos semper habent; iis enim in locis assiduè populus ultro citroque commeat.*

3 Mala nomina *dicuntur negligentes debitores. Hinc illud apud* Colum. l.1. c.7. vel optima nomina non appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixisse verissimè fertur.

4 Sortilegis Delphis *dixit* Hor. de Art. *est autem* Sortilegus *qui per sortes futura pronunciat.*

5 Pythia, *supple* sacra, oracula, *vel aliquid simile. Py-*

Agnosco Xanthum, Simoentaque. pinguibus ollis,
Felices populi!, video fumare [6] caminos.
Ut lautè cœnant! adipalis sidera fumus
Subtexit, multusque focis furit ignis in auras.
Verùm heu! quas dextrâ flammas jaculatur Ulysses,
Obscura noctis quid tantum sævit in umbra?
Victrices per templa, domos, flexusque viarum
[7] Myrmidonum excurrunt acies, & prælia miscent.
Ille sed [8] asseribus [9] quadrupes contextus acernis
Quot sublime minans armis, & milite quanto
Exonerat prægnantem uterum! pars Pergama ferro
Subruit; antiquas Priami pars occupat Ædes.
Omnia corripiunt strages, incendia, ferrum,
Et quidquid captam demum patrare per Urbem
Annis ira decem potis est collecta. Ruina est,
Quæ modò Troja fuit. Sed quid moliris ineptè,
Tros [10] Anchisiade, [1] Vertumnis nate malignis? [2]

thius Apollo dicitur, ab intercmpto Pythone serpente. Pythia esse domi alicui dicimus, cum quis ab extraneis petit consilium, quando proximiores habet alios excellenti judicio, quos faciliùs possit consulere.

6 *Fingit Poeta, videre se ingentem vim fumi è Trojæ caminis efferri. id primùm per jocum interpretatur focos culinarum, opiparis coquendis obsoniis laborantes: deprehendit postea ignem esse in domos Trojanorum à Græcis injectum.*

7 *Myrmidones. Thessaliæ populi, qui Achillem sequuti sunt in bello Trojano.*

8 Asseres *dicimus, tabulas sectiles; quasi trabibus assideant, ut Author est* Festus.

9 *Equus ligneus, Trojæ exitialis.*

10 *Æneas, Anchisæ Filius.*

1 Vertumni, *aliis* Vortumni, *Dii sunt habiti à Romanis, ita appellati, quòd in varias formas verterentur; vel quòd vertendi anni curam haberent. Vide* Gyral. Syntag.4. *sub* Jano.

Laudo

Laudo etenim vetulo quòd [3] succollare [4] parenti
Haud quaquam renuis; lævo sed [5] mantica tergo
Quæ fluitat, corylis, responde, an [6] plena lupinis?
Dii tibi [7] Trojam aliam; tam lævo tempore qui me
Interpellaris, patrios includere sacco
Conantem, & Danao semiassos igne Penates.
[8] Scilicet infidos etiam, postquam incolumes vos
Promisere. horum cum tu mendacia noris,
Obsequio indulges stolido, servare paratus
Dimidios etiam nasi cum fecerit ignis?
Nec petis [9] Anticyram, Italiâ, porcâque relictâ
[10] Cum catulis? demens: i nunc, & rade trecentis
[1] Ionium [2] tonsis, Siculas & curre per undas,

Horat. l.2. Sat.2. Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

2 *Alloquitur Poeta Æneam, cum discessionem ex incensa patria adornans, Deorum Penatum secum deferenda colligeret simulacra.*

3 *Succollare, non semel dixit Suetonius, cervicibus subjectis aliquem portare.*

4 *Anchisæ.*

5 Mantica, *pera est viatoria. quòd sit ad manus*, Mantica *dicitur.*

6 *Poeta irridens Æneam, qui Deorum effigies sacco incluserat, petit, quid ferat in perâ? num nuces, aut lupinos, per viam scilicet esitandos?*

7 *Æneas respondet subiratior; tanquam tempore minùs commodo appellatus.* Dii tibi Trojam aliam. *supple*, dent. *sensus est. Hoc tibi etiam, me à pio officio impedienti, Dii velint contingere, ut patriam eversam habeas.*

8 *Subjicit hoc Poeta.*

9 *Vide, quæ de Anticyra notavimus.* Sat.2. pag. 53.

10 *Alludit ad suem albam cum triginta catulis, de qua* Vir.l.7.

1 *Mare Jonium Adriatico connexum, quod Æneas pertransiit ab Epiro discedens.*

2 *Tonsæ dicuntur remi, quasi undas tundant; nisi mavis*

Virgilio ut placeas, & fias [3] *Arma Virumque*.
Desere nunc Phrygiæ campos, penitusq; subactū
Ilion, & fastos [4] Thebani consule belli,
Marmoreas aras Argivo Græcia [5] Vati
Extulit, irriguo qui plenus Apolline mentem,
Omnia callebat, venturi certus aruspex.
Prodiderat centum Grajis oracula, nullis
Deceptus pecudum fibris, pennisque volucrum.
Non dubium Vati exitium sed fata minantur,
Si bellum [6] Ogygium, [7] Cadmæaque signa sequatur,
Oedipodionidæ nec fugerit [8] exulis arma.
Ergo tenet secreta domus, obscuraque tecta.
Cæcis ipse Ducem latebris formosus Apollo
Occulit, atque omnes excussit pectore [9] Thebas.

cum Festo *à tondendo*; *quasi ipsi remi, dum conficiuntur, ferro tondeantur*.

3 *Ut multa & præclara facinora facias, & quasi commerearis Virgilianum Poema, cujus est initium*, Arma virumque cano.

4 *Post bellum Trojanum, nihil est apud Poetas commemoratius bello Thebano, inter Eteoclem, & Polynicem, Oedipi filios. Vide* Stat. in Theb.

5 *Amphiarao, clarissimo Auguri, divinos honores Græcia statuit, eidemque Oropii templum posuere, ut scribit* Gyral. synt. 1. *cæterum Amphiaraum domi latentem, quod prævideret se à bello Thebano non reversurum, Eriphyla conjux, à Polynice monili aureo corrupta, rapit in belli societatem, quod idem Polynices moverat fratri Eteocli. Quo bello Amphiaraus cum curru & equis, terræ hiatu, est absorptus. Vide* Stat. l. 7. Theb.

6 *Thebanum ob Ogyge, Thebarum Rege antiquissimo*.

7 *Thebana. Cadmus, Thebarum conditor*.

8 *Polynicis, Oedipi filii, qui cum à fratre Eteocle Regnum poposcisset, quod alternis annis administraret, ejectus est*.

9 *Thebani belli cogitationem omnem*.

Sed gener [10] Adrasti claris te, perfida [1] conjux,
Aggreditur donis, gemmata monilia spondet,
Si segnes umbrarum aditus, cæcosque penates
Servantem in medios Vatem produxeris hostes.
Blanditiis pugnat (quæ sternunt mollia fortes
Sæpius arma Viros) & formæ conscia conjux.
Nutantes animos, agitataque pectora firmat
Delius, invisisque vetat prodire latebris.
Obsidet hinc Vatem Titan, hinc Sponsa Maritum:
Dividit hinc vultus pellax, hinc cura salutis
Incertas curas, suspensaque corda; pudendo
Atque æquata tibi, Phœbe, est Eriphyla duello.
Connubialis amor vicit post omnia, quæque
Ad certum exitium luctantem fata trahebant.
Nec mora. poscit equos, devotaque [2] Manibus arma
Induit. [3] Ismeni ad ripas, murosque, quid actum,
Quæris [4] Echionios? hostem vix vidit ab altis
Turribus, & blando positos [5] Amphione muros,
Sub pedibus fremitu horribili, validoque dehiscens
Impete cum tellus absorbuit arma ferentem,
Præcipitesque rotas, versosque in terga jugales.

10 *Polynices, qui Argiam, Adrasti Argivorum Regis filiam uxorem duxit.*

1 *Eriphyla, Amphiarai conjux.*

2 *Devota Manibus dixit arma Amphiarai, quia cum armis, curru, & equis absorptus periit.*

3 *Ismenus, Bœotiæ fluvius, ubi Thebæ.*

4 *Muros Echionios, idest Thebanos; ab Echione, cujus ope adjutus Cadmus Thebas ædificavit.*

5 *Amphion modulatu testudinis a Mercurio acceptæ saxa dicitur traxisse ad Thebarum muros extruendos. nimirum vel eloquentiâ suâ permovit populum, ut mœnibus urbem permuniret; vel ex musica, quam profitebatur, arte collectâ pecuniâ, ejusdem muros extruendos curavit.*

Quadrupedes, bijugosque manu ter sistere currus,
Ter prensum servare Ducem conatus Apollo:
Sed retinere domi qui sæva in bella ruentem
Tentavit frustra, currus, miserosque morari
Non potuit casus. Et quis tua numina posthac,
Phœbe, colat? te quadrupedis mortalis habenas
Non tenuisse ferant, qui flammas ore vomentem
[6] Eoum, durisque regis Pyroenta lupatis?
O pudor! [7] Argivum currum tu flectere nescis,
Et tenuem vitare [8] scrobem, [9] carpenta diei
Lucida per medium dux Aurigarius orbem
Qui regis, insidias inter formasque [10] ferarum.
Tam rudis æripedum cum sis agitator equorum,
Non equidem te vectorem conducere vellem,
Si visenda mihi sint culmina [1] Privernatum,
Vel prærupta riget duris quæ [2] Narnia saxis.
Tutiùs [3] Arguttus me vexerit, aut Caramella.
Ergo cum totis Stygias descendit ad undas
Amphiaraus equis, cœtu mirante piorum,
Armato tenues & corpore territat Umbras.

6 *Eos, Æthon, Phlegon, & Pyrois, equi sunt Solis.* Pyroenta, *accusandi est casus, ut à* Simois, Simoenta.

7 *Currum Amphiarai Argivi.*

8 *Hiatum terræ, quo absumptus Amphiaraus.*

9 Carpentum, *vehiculi genus. nomen inditum à Carmenta Evandri matre, ut scribit* Ovid. 1 Fast.

Nam prius Ausonias Matres carpenta vehebant.
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.

10 *Quæ scilicet Zodiacum obsident.*

1 *Privernum, Urbs est Volscorum, prærupto loco sita. inde Privernates.*

2 *Narnia, Umbriæ Civitas, clivo consita saxis aspero.*

3 *Argutti & Caramellæ, Veredariorum nomina finxit Author.*

Non illum [4] Alcmæon humeris, dulcissima proles,
[5] Amphiloco cum fratre subit; non perpete luctu
Abluit ingratos cineres, conditque sepulchro,
Quo neque Dircæus caruit [6] Menalippus honore,
Nec teneris cecidit qui [7] Parthenopæus in armis,
Non gemini [8] Oedipodæ, sed nec Calydonius [9] Heros,
Tuque afflate Jovis, [10] Capaneu, stridente sagitta.
Talia sustineat Cælum cum Numina, vobis
Ultro do veniam, Superi; post funera [1] Claudi,
In medium si [2] consulitis, variisque vicissim
Certatis studiis, mereat novus ille vocari
Num Deus, atq; habeant chlamydatū sidera [3] fungum.
Quidni etenim Caji [4] patruum, plaudentibus astris,

4 *Amphiarai filius.*

5 *Amphilocus, alter filius Amphiarai.*

6 *Menalippus, Dux belli Thebani, Tydeum in pugna gravi vulnere affecit. Vide* Stat.

7 *Parthenopæus Arcadibus imperavit; Polynicem sequutus in bello Thebano, non ita multo post ad Trojam occubuit.*

8 *Eteocles, & Polynices Oedipi filii, quorum discordiâ ortum est bellum Thebanum.*

9 *Tydeus, Calidoniæ Rex, clarissimus eodem bello Thebano.*

10 *Capaneus, alius Dux belli Thebani, Jovis fulmine extinctus fingitur.* Statius Theb. l. 10.

1 *Claudii Cæsaris, qui post Cajum Caligulam Imperium Romanum obtinuit.*

2 *Vide apud* L. Annæum Senec. *(ejus enim esse circumfertur)* Ludum de morte Claudii Cæsaris. *Concilium ibi Deorum inducitur, in quo disceptatur, utrum inter Deos referendus sit Claudius, bipedum utique stolidissimus, & per omnia deridendus.*

3 *Claudium. homunciones stupidos, fungos dicimus.* Plaut. in Bacchid. Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem?

4 *Claudium. qui Germanici frater, cujus fuit filius Cajus Caligola.*

Excipiant Superi faciles, invenerit aras
Cum [5] Bubona suas, cum [6] Tutellina; [7] Vacunam,
[8] Pallorem cum Roma colat; cum [9] Murcia templum
Possideat, [10] Fornax, & cum [1] Rubigine [2] Febris,
Atque istis multo quæ deteriora recenset,
Victurisque dedit chartis [3] Aurelius, Urbe
Cum de Divina [4] scripsit, divinus & ipse.
Risit [5] Agesileos, sibi regia sceptra tenenti
Cum Thasii vanos titulos, cultumque Deorum
Insuper offerrent. Promittere talia largè
Qui possunt aliis, dixit, cur non prius ipsi
Dant sibi? namque aliquid si sunt qui sidera calcant,

5 *Dea nuncupata à bobus, quòd illos fortunaret.*

6 *Dea à tutela segetum appellata. de ea vide* Macrob. in Saturnal.

7 *Vacandi Dea.*

8 *Pavor, & Pallor, Dei à Tullio Hostilio habiti.* Lactantius.

9 *Dea desidiæ, nam veteres* murcos, & murcidos *ignavos dicebant.*

10 Fornax, *Dea existimata, nam ante usum tritici, farra fornacibus tosta veteres esitabant. de ea, & festis Fornacalibus vide* Ovid. in Fast.

1 Rubigini *Deæ (*Rubigum, *mascul. gen. etiam dicimus) rubigine segetes occuparet, sacra fiebant. est autem rubigo in segetibus, urens nebula, quæ illas in fœtidum pulverem vertit.* Horat. lib. 1. nec pestilentem sentiat Africum fœcunda vitis, nec sterilem seges rubiginem. *De Rubigine, & Festis Rubigalibus, amoliendæ rubigini institutis, consule* Ovid. in Fast. & Joannem Ciampolum *in* Zoroastro.

2 *Febri multas aras Romani erexerunt, ut minus noceret.*

3 *Divus Aurelius Augustinus.*

4 *De Civitate Dei.*

5 *Agesilaus, Spartæ Rex. Atticè dixit,* Agesileos, *metri gratiâ.*

Dii Superi, insipiens multo est, stultèque modestus,
Esse quod altitonans qui negligit, aut bonus [6] Arcas,
[7] Vitricus aut Pueri, pharetras arcumque gerentis.
Quòd si gens Superûm nil dignum nomine tanto
Intus habet, Spartæ malim non finibus amplis
Regnare, & parvis non illaudatus [8] Amyclis,
Quàm fieri de plebe Deus; semperque sub imis
Vivere vel silvis Faunus, vel Glaucus in undis.

Primus in Orbe Deos humana è gente creavit
Psittacus. hunc dominus (Graji dixere Psaphonem)
Voce, Psaphon Deus est, Deus est, iterare per Urbes
Edocuit. Libycas Gangeticus ales ad oras
Venerat: ore, Psaphon Deus est, de more canebat;
Totis atque, Psaphon Deus est, clamabat arenis.
Quid facerent, qui [9] Nasabathan, Taphtasque, Sadenq;
Et Cyrthæ deserta colunt; quibus Indica nunquam
Visa coloratis [10] volucris discurrere pennis?
Protinus ergo novum veneratur strata Psaphonem
Turba Deum: nova Relligio pavitantia motu
Pectora pertentat tacito, curvatque nigrantes
Æthiopum frontes. lætos per littora saltus
Ingeminant, pictis plaususque dedere pharetris.
Ipsam quin etiam demissam ex æthere, credunt
Numen, avem. nam quid divinius? advena primùm,

6 *Mercurius in Arcadia natus.*

7 *Mars, quem cupidinis Vitricum vocat, nempe maritum Veneris, ejecto Vulcano.*

8 *Amyclæ, Civitas in Laconia prope Spartam.*

9 *Nasabathan, Taphtæ, Sade, Cyrtha, inter Africæ Oppida recensentur.*

10 *Psittacus, avis est Indica, ut vox ipsa exotica, quam Indicæ originis ferunt, testatur. eam avem pulcherrimè describit* Apul. 2. Florid. *ipsum consule; non pœnitebit.*

(Nam rari [1] Indigetes tenuerunt aurea templa,
Major & ignotis reverentia) rostra rubenti
Tum spectanda croco, sublatæ & gratia cristæ,
Pectoraque, & Scythicis certantia terga smaragdis.
Cætera si pulchræ desint ornamina formæ,
Omne ferat [2] punctum linguæ facundia, quæque,
Humanos imitata sonos, modulamina solvit.
Improba non equidem felis, non dignior aris
[3] Ichneumon, centumq; colit quę monstra [4] Canopus.
Ipse per Europæ populos notissimus [5] Hammon,
Qui Libycis regnat [6] caper admissarius oris,
Tam claro dignum quid Numine, cornua præter,
Exhibet, & tetrum quem sordidus afflat odorem?
Non tamen erubuit Pellæa [7] Natus in urbe
Hircum regali se majestate ferentem
Consulere, atque olido caput incurvare marito.
Ibat ad [8] Euphratem victor, viresque trahebat

1 Indigetes *satis constat Deos esse ex hominibus factos, quales habiti sunt Æneas, & Romulus. Indigetes dicti, quasi, indegeniti. vel quòd, licet Dii non essent, ut tales indigitarentur.*

2 Punctum *pro suffragio dixit. ut* Horat. de Art. Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. *Puncta veteres dicebant calculos, & suffragia, quòd puncto eadem notarent. unde magistratu privati,* expuncti *dicebantur.*

3 *Ichneumon, animal est specie muris, sed ampliori mole. in Ægypto nascitur. multa de illo apud* Plin. l. 8. c. 4.

4 *Canopus, Urbs Ægypti ad Ostium Nili.*

5 *Hammon, appellatus est Juppiter, qui sub imagine arietis in Libya colebatur. Jovem arenarium interpretamur.*

6 Admissarius, *qui procreandæ soboli retinetur. Caprum dixit, non arietem, ut propinquâ deterioris similitudine rem abjectiorem faceret.*

7 *Alexander Macedo, Pellæ in Macedonia natus.*

8 *Adversus Darii, Persarum Regis copias.*

Æmathiæ, vetereſque Duces, quos Marte ſevero,
Solibus armipotens [9] genitor duravit, & imbri.
Finibus à patriis, & [10] Strymone non ita multùm
Digreſſus, verſas acies, & ſigna referri
Imperat. Haud, inquit, longa regione viarum,
Fatorum ſecreta canens, [1] diſpeſcitur Hammon.
Fert animus belli, tanta quod mole paramus,
Hinc petere auſpicium, ſorteſque repoſcere [2] Patrem.
Ergo, quod Superi bene vertant, littoris Afri
Obliquum callem, & Libyæ deſerta petamus.
Demittunt aures. nam quid [3] Biſalta, vel Edon
Audeat adverſus [4] Juvenem, qui vincere poſſet
Mileti catulum, [5] muremque tenerrimus album,
Nulla impune unquam faſtidia paſſus? at idem,
Si minimum obſiſtas, digito & contingere tentes,
Totus [6] echinus erat. Sed nil cunctatus iniquum

9 *Philippus Macedoniæ Rex, qui bello Macedonico præclaros Duces instituit. Horum poſtea virtute Alexander facilè omnia ſuperavit.*

10 *Strymon, fluvius in Macedoniæ finibus.*

1 Diſpeſcere *eſt, ſejungere, & dividere. propriè de gregibus dicitur. à paſco fit compeſco, & diſpeſco: primum eſt oves in iiſdem paſcuis continere; ſecundum eſt eaſdem dividere, itaut pars ſeorſum paſcatur.*

2 *Jovem, cujus ſe filium mentiebatur Alexander. Hammonem autem, Jovem Libycum fuiſſe appellatum, ſupra notavimus.*

3 *Biſaltæ, Edones, Macedoniæ ſunt populi.*

4 *Alexandrum Ducem.*

5 *Mileſii deliciis fluebant.* mus albus, *molliſſimus eſſe perhibetur. Alexandrum notat, ſenſu ingenioque admodum delicato, minimèque offenſionibus opportuno.*

6 *Aſper adverſus offenſiunculas, ut Echinus, ſpinis armatus undique prominentibus. Vide de Echino, quæ adnotavimus* Sat. II. pag. 45.

Carpit iter miles, [7] furiosaque vota secundat.
Pulvereis tecti peragrant squalentia regna
Nubibus, & solis cultos serpentibus agros.
Per septum monstris iter, occursusque draconum,
Per canis [8] Icarii torrentes sidere campos,
Devenere sacros aditus, ubi corniger Hammon
Ambiguos casus, rerumque arcana resolvit.
Protinus amplexæ prosternunt corpora terræ:
[9] Obscænis pedibus, ductisque e marmore setis
Centum certantes delibant oscula, fronti
Centum, villosæ totidem dant oscula caudæ.
Ipse inter primos Macedo submissus adorat
Numinis immundam effigiem, precibusque fatigat.
Exurgit demum; & tota spectante corona,
Thura cremat, donisque onerat gemmantibus aras.
Postremò ancipites nodos, quos mente volutat,
Exponit, responsa petens. Quid creditis illum
Poscere? num properum excidium, casusque superbę
[10] Perfidis, utque suis recubet Victoria castris?
Nil horum. Fortes num quæ validissima muros
Machina diffringat? num qua regat arte phalanges,
Si pugna ingruerit? clausis tutamina vallis
Quæ sint fida magis? quo vitet spicula Parthi,

7 *Alexandri Regis, Ducisque bellici.*
8 *Canis, Cæleste signum, Icarius dicitur, quòd olim Icari custos fuerit, infidus postea commutatus à Baccho. Ovid.*Am. 2. El. 16. Et micet Icarii stella proterva canis.
9 *Arietis. Hammonis.*
10 *Ad quam armis submittendam cum exercitu advolabat.*
1 *Nihil horum, quæ Duci utilia essent, Oraculum Hammonis poscit; sed Nili amnis originem; quod scire minimùm scilicet interesset arma tractantis. quòd autem nihil, præter Nili originem Alexander Oraculum poposcerit, Author est*

Pugnantemque fugam? [1] longè his diversa. quid ergo
Numina tanta rogat? risum cohibete. requirit,
Ignoratus adhuc qua Nilus origine prima
Effluat, & Pharios stagnanti flumine campos
Tempore possideat certo, certoque relinquat.
Scilicet hippodromum [2] mensarius, [3] organa sutor,
Piscator clypeum, miles [4] vadimonia curat.
Obstupuere omnes sectantem ludicra rerum
Cum galea, jaculisque, Macedoniâque [5] sarisâ,
Totque acies bellatorum, tot signa trahentem.
Usqueadeone animis [6] Taurus, celsusque [7] Niphates
Excidit, & [8] Cyri solium? tot robora pubis
Æmathiæ, erectas pugnæque cupidine turmas
Huccine, per lentas Libyæ sitientis arenas
Traxerit, ut duris supplex bellator in armis
Perquirat Nili fontes; oblitus [9] Araxem,

Maxim. Tyr. Ser. 25. *quem Poeta sequitur, non ignarus, Curtium longè aliter rem exponere.*

2 *Curat, quęritque ad se nihil pertinentia: ut si argentarius solicitus esset de equis cursoriis.* Hyppodromus, *locus est, ubi equi exercentur ad cursum.*

3 Mensarius, *idem quod Argentarius à dispensatione pecuniæ, quæ numeratur super mensa. Græci* Trapezitam *appellant.*

4 Vadimonium. *Sponsio est sistendi in judicio ad præscriptam diem.*

5 Sarissa, *hasta prælonga, propria Macedonum.*

6 Taurus, *Mons in Asia, per multas Provincias excurrens, multa habet nomina, pro gentium & linguarum varietate.*

7 *Niphates, Mons Persidis. sunt, qui Tauri Montis partem existiment.*

8 *Persidem à Cyro regnatam.*

9 *Araxes, Armeniæ fluvius. Alexandri pontem diffregit,*

Et conjuratum frenis [10] innectere Tigrim?
Mirari subit haud leviter, tam vana petentem;
Nugantemque Deus cur non ejecerit ipse
[1] Cornupeta, & stratum ante sacras devolverit aras.
Nunc age: ductoremque gregis patremq; [2] petulci
Desere [3] Marmaricis campis. non Africa turpes
Sola colit facies, portentaque dira Deorum.
Romuleis Libyę pestes dominantur in aris;
Fœdior Ægyptus Latiamque irrupit in Urbem.
Flavus ubi Tiberis Tyrrhenis influit undis,
Obversæ & sicca proræ statione quiescunt,

firmiorem ab Augusto impositum sustinuit. Stat. Syl. 1. Latii patiens jam pontis Araxes.

10 *Tigris, in Perside nascitur, ab aquarum celeritate sic dictus; nam cursu adæquare videtur velocitatem sagittæ, quam sua lingua Persæ Tigrim appellant*.

1 *Deus cornupeta. Aries, Hammon cornu petens*.

2 *Hammonem arietem*.

3 *Marmarica, Africæ regio, Cyrenaicæ proxima*.

4 *Ut ostendat Poeta, Romam monstra Ægyptiis etiam deteriora coluisse, sermonem instituit de Æsculapio. Romanis in Epidaurum profectis tempore pestilentiæ, ut Æsculapium Romam portarent, prægrandis serpens navim ingressus est, quem Æsculapium rati Romam duxerunt, ubi Templum illi est positum in insula Tiberina. rem eleganter exposuit* Seren. Sammon. de re Medic. *scitè Æsculapium invocans initio Carminis*.

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Noscis, & in Cælum manes revocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Qui quondam placida tectus sub pelle draconis
Tarpejas arces, atque inclita tecta petisti,
Depellens tetros præsenti numine morbos,
Huc ades.

Fingit autem Poeta, in præsens appellere ad ostia Tiberis navim cum Serpente Æsculapio.

4 Cerne ratem, resono quæ læta 5 celeusmate fidas
Jam ripas tenet, & plenis subit ostia velis.
Digressa Ægypti non 6 vectigalibus arvis
Niliacas messes inducit, & horrea complet.
Non 7 Mitylenæum, 8 Mamertinumque, 9 Vesevi
Nec cineres inter prognatum devehit, aut quæ
Lesbia Nestoream spondet tibi 10 testa senectam.
1 Sisypheo solvit de littore, nubibus infert
Quà caput, & volvit medicas 2 Epidaurus arenas.
Appropera; & raras, quas detulit, inspice merces.
3 Hui! Hui! rem tetram Alcmena genitrice creatus

5 Celeusma, *clamor nautarum ad opera nautica se invicem adhortantium.*

6 *Notum est, Ægyptum Romæ fuisse vectigalem. per anacronismum autem dicitur, fuisse vectigalem quo tempore Æsculapius Romam venit.*

7 *Supple*, vinum. *erat autem in pretio, quod proveniebat ex Mitylene Oppido Insulæ Lesbi. eam civitatem Pittacus unus ex septem Sapientibus, & Alcæus Poeta patriam habuerunt.*

8 *Mamertini, Campaniæ populi, qui cum Messanam trajecissent, ibi etiam Mamertini, quàm Messanenses appellari maluerunt.*

9 Vesevus, *Mons prope Neapolim, ignem eructans. vinum proximis collibus generosissimum progignit.*

10 *Vinum Lesbium dulcissimum esse dicitur, idcirco gratum, opportunumque senibus.* Nestoream senectam, *idest longam, qualem Nestor Pyli Rex vixisse fertur.* testa *etiam dolium significat.*

1 *Ex Achaja, quæ est prope Corinthum, ubi sinus Sisypheus.*

2 *Tres sunt Urbes Epidauri nomine: prima in Peloponneso, ad sinum Argolicum, altera in Dalmatia, tertia in Achaja supra Corinthum. ex hac profectus Romam Serpens Æsculapius.*

3 *Qui supra inductus est à Poeta, ut navim inspiceret, viso Serpente teterrimo, cum admiratione & formidine loquitur.*

4 Averruncassit. 5 quin tu prece Numina supplex
Magna colas, placidisque nihil moveare venenis.
Anguinea sub pelle Deus, squamisque coruscis
Delitet, informes doctus depellere morbos,
Herbarum Deus ille potens, Medicæque repertor
Artis 6 Phœbigena: Argivas mitissimus Urbes
Centum habitat, centum Attalicis in mœnibus 7 aras.
Puppe triumphali nunc illum maxima Roma
Excipit, & meritos Templis indicit honores.
Non alius Marsis quæsitas montibus herbas
Dexterior tractat, succosque usumque medendi:
Doctior haud alius morboso in corpore motus,
Et varios toto surgentes ore colores
Callet, & apposito salientem pollice 8 venam.
Lætior, an tristis languentia corpora, vitæ
Exitus expectet, prænoscit tempore longo;
Atque 9 tubam primùm viso denunciat ægro.

Hui! *interiectio est admirantis.*

4 *Herculem Alcmenę filium rogat ut sinistrum omne ab aspecto angue dirissimo depellat.* Averruncare, *pro avertere, vel depellere dicebant veteres à runcando, quod est herbas noxias ab agris evellere. Inde Dii* Averrunci, *inter quos Hercules primum obtinet locum, qui mala avertere putabatur.*

5 *Respondet Author, confirmatque alium form'dine percitum; docetque illum Serpentem, Deum esse, Medicinæ parentem.*

6 *Apollinis filius Æsculapius.*

7 *Æsculapius Templum habuit Pergami; quæ Asiæ Civitas Attali Regis lautitiis, luxuque celebratur.*

8 *Arteriam, à cujus pulsu Medici de humorum temperie judicant.*

9 *Moris erat apud veteres cadavera efferre inter tubarum, & tibiarum sonitus. Vide commentarios in illud* Perſ. Sat. 3. Hinc tuba, candelæ. *hìc Poeta tubam funebris solemnitatis*

Ergo omnis ſeſe campis effundit apertis
Turba Remi, gaudetque manu contingere puppim,
[10] Anguem per ſeptem porrectum jugera terræ,
Perpetuis flexum ſpiris, maculiſque ſuperbum
Quæ vehit, optatæ nimirum certa ſalutis
Pignora. contactu celeri jam nulla timetur
[1] Peſtilitas, fluidis macies non tabida membris.
Ipſa Salus invecta domos. [2] cephalalgia frontem
Non ultra findet; non Mercurialibus obſtet
[3] Hemicranæa viris. aliò divertere poſſunt
[4] Tormina, [5] lithiaſis, ſcabies, [6] apoplexia, febres,
Et quæ correptas agitat [7] lethargia mentes,
Ipſam quæque premit [8] pleuritis pectoris arcem.
Ergo, quò ſtimulis adigit veſana libido,
Quò gula, quò vocat ebrietas, nidorque culinæ,
Illuc proruere in præceps incauta juventus,
Atque omnes ventri, Venerique exolvere frenos.

accipit pro ipſa morte. Senſus eſt, certiſſima ſunt Æſculapii prognoſtica, ut qui mortem ægro denunciet, ubi primùm eundem viderit.

10 *Serpentem Æſculapium.*

1 Peſtilitas, *verbum eſt Lucretianum.* lib.6.

2 Cephalalgia, *Latinè* capitis dolor.

3 Hemicranea, *Latine dolor in parte capitis.* viri Mercuriales, *ideſt litterarum ſtudioſi, cujuſmodi ſunt ſub tutela Mercurii.*

4 Tormina, *morbus inteſtinorum. quòd viſcera torqueat.*

5 Lithiaſis, *Latinè calculi generatio in veſica.*

6 Apoplexia, *Latine ſtupefactio nervorum, cum privatione ſenſus & motus.*

7 Lethargia, *eſt torpor cum prægravante ſomno, & mentis alienatione.*

8 *Pleuritidem* Plinius *laterum compunctionem vocat.*

Indulgent genio, [9] Euripi, Scyllæque macelli;
[10] Lurcones vivunt, [1] Abrones, [2] Thericleique;
[3] Massiliam Romam faciunt, mollemque Corinthum.
Desidiam, choreas, convivia, balnea curant,
Inque rosa somnos accersere molliter, & quæ
Arma [4] Leontinis Phalaris jam sola reliquit.
Quid tantùm Latiam penitus mutaverit Urbem
Quærere desistas. Grajis pervenit ab oris
Artis Pæoniæ columen, divinus [5] Iatros,
Cujus ad aspectum morborum examina cedunt;
Qui miranda tulit secum [6] catapotia. nil est,
Quod magis enervet, rectas [7] discingat & Urbes,

9 Euripus, *proprie fretum est inter Aulidem, Bœotiæ portum, & Eubœam Insulam; sed quoniam rapacissimus ille est, & integras naves absorbet, pro Helluone metaphoricè ponitur.*

10 Lurcones *dicti sunt edaces, bonorum suorum consumptores.*

1 Abronis vita: *adagium in voluptarios, ab Abrone quodam notæ luxuriæ.*

2 Thericlei amicus, *parœmia in bibosos. à Thericle poculorum Inventore, de quo vide* Athen. l.11.

3 *Massilienses deliciis effœminati locum fecerunt proverbio apud* Athen. l.2. naviges Massiliam. *Corinthus mollissima fuit civitas, cujus domos summâ elegantiâ constructas cum videret Philosophus ille;* Quinam sunt, *dixit*, has domos incolentes Mulieres? *solerti solœcismo Urbis mollitiem ostendens.*

4 *Voluptates intelligit. cum Phalaris Leontinos, Siciliæ populos, expugnasset; ne iterum rebellarent, ademptis armis, illos compotationibus & voluptatibus enervavit.*

5 Iater, *vel* Iatros, *Latinè Medicus.*

6 Catapotia. *medicamentum, quod non diluitur; vulgo,* pilulæ. *produxit Poeta Syllabam tertiam, metri gratia, nam omnes sunt breves.*

7 Discingere, *propriè dissolvere, quod erat cinctum: metaphoricè, enervare.*

Quam

Quàm Medicus, magna præsertim clarus in arte:
Non equidem ipsorum vitio, causâque medentum;
Illis sed quoniam qui fidunt, cuncta licere
Credunt posse sibi, casus vitamque per omnes
Objicere, [8] Ægæoque rudem committere cymbam.
Nimirum præsto est nandi, pelagique [9] peritus,
Qui mediis minimùm pavitantes prendat ab undis,
Sublatosque humeris ferat, in portusque reducat.
Nec morbis solùm, Parcis [10] Epidaurius ipsis
Imperat, exanimes artus, defunctaque vitâ
Corpora, fomentis, medicata & [1] pyxide dulcem
Ad vitam revocat, concisaque fila [2] retexit.
[3] Hippolytum haud dubiè reputat se quisque futurũ,
Hujus opem quicumque petit, dextramque potentem.
Illud non pavitat saltem, ne curet [4] hydropim,
[5] Ictericus cum sit, vel forte [6] nephriticus. Isthuc
Plurima nugando & quoniam pervenimus, ægro
De Jove fabellam bonus audi: plura nec ultra
Dicam de Superis, humeris quos sustinet Atlas;

8 *Ægæum, Mare in primis procellosum, ita dictum ab Ægæo Thesei patre, qui, audita filii morte, in mare se dedit præcipitem.*

9 *Allegoria est. Medicum intelligit, cujus sæpe fiduciâ male vivitur.*

10 *Epidaurius. Æsculapius, qui eam Urbem sui studiosissimam habuit.*

1 *Medicamentis in poculo dilutis.*

2 *Parcas cogit, ut vitæ fila iterum ordiantur.*

3 *Qui ab Æsculapio ad vitam est revocatus. Unde* Virbius *postea dictus.*

4 Hydrops, *latinè aqua sub cute nascens, unde corpora turgescunt.*

5 *Qui ictero, idest bile per totum corpus suffusa laborat.*

6 *Qui nephriti, idest renum morbo affictatur.*

Atque aliis hoc purgandum [7] bubile relinquam.
Extremũ hunc, [8] Aurunca, mihi cõcede laborẽ,
Palladios ortus memorare, ægrumque Tonantem.
Olli etenim capitis prægnantis calva pudendùm
Intumuit, quantum Setina [9] cucurbita: natum
Saturno non patre, sed anormi [10] Capitonum,
Frontonumque è stirpe putes. [1] Empiricus ille,
Consulitur properè Vulcanus, [2] Genga Deorum.
Jamque aderat vultu illoto Liparæus [3] Iapis,
Omniaque attulerat secum [4] narthecia. scalprum,
Forcipula, [5] excipulum, ligulæ, tonsorius illi
Culter adest, cum [6] phlebotomo [7] volsella, [8] specillũ,

7 *Tangit fabulam Herculis, cum Augiæ Eleorum Regis immensum bubile repurgavit: quod inter ejusdem labores numeratur.*

8 *Lucilium invocat, Vatum Satyricorum Principem, qui Auruncæ natus. Vide* Satyr. 1. pag. 1.

9 *Setinum olim vinum laudabatur. nunc cucurbitæ sunt in pretio, quæ ibi nascuntur.*

10 Capitones, Frontones, *familiæ à frontis, & capitis magnitudine ita appellatæ.* Anormi. *sine normâ. hîc sine mensurâ.*

1 Empiricus, *Medicus qui solâ experientiâ medicinam tractat.*

2 *Bernardinus Genga, insignis in Urbe, & Collegii Romani Chirurgus.*

3 *Vulcanus, quem Japin vocat, quod fuit Chirurgi nomen, qui Æneæ vulnus curavit apud* Virg. Æneid. 12. Lipara, *insula ignifera, una ex Æoliis.*

4 Narthecium. *Medicamentorum repositorium.*

5 Excipulum, *vas ad excipiendum vulnerum sanguinem.* ligula, *idem quod* spathula, *instrumentum ad usum pharmacopolarum.*

6 Phlebotomum, *scalpellum ad venam secandam; vulgò,* lancetta.

7 Volsella, *instrumentum ad evellendos pilos.*

8 *Specillum, ab inspiciendo. instrumentum scrutandæ vul-*

Fasciolæque, levi foveant quæ vulnera lino.
Verū humeris habilem in primis validamque securim
Suspendit, veteris modò quam renovaverat ille
Pumicis attritu, & nitidam cervice tenebat.
Hac specie ingressus Superûm conclave, salutem
Nunciat ægroto primùm, sellâque receptus
Subridet; subitumque metum ne forte jacenti
Incutiat, blaterat nugas, alienaque multùm;
Et se præcipuè laudat, conversus ad illos,
Qui mœrent circum adstantes, lectumque coronant.
9 Ut pulchrè illuxit detersum mane! tabellæ
Cursoris vespertini dignumnè relatu
Apportant quidquam? namque illas volvere, curis
Non fuit adstricto gravioribus ulla potestas.
Hæc inter surgit paulum, propiùsque 10 cubantem
Inspiciens, ferrugineo sic incipit ore.
Heus, bone, tu palles? diffuto pellis in ore
Plumbea surrepit; liventia lumina torpent.
1 Quærite sarcophagum cum Vespillonibus. 2 eia;

nerum profunditati. Italicè, tenta.

9 *Loquitur Vulcanus, & de Medicorum more, antequam ad ægrotum aggrediatur, de nihil ad curationem pertinentibus, cum adstantibus fabulatur. commendat serenitatem diei; novarum rerum nuncios exquirit, & similia.*

10 *Jovem ægrotum.*

1 *Hæc Vulcanus ad adstantes paulò submissiùs, ne à Jove audiatur.* Sarcophagus, *proprie terra, quæ exceptum cadaver absumit. hic pro pheretro accipitur. de* Vespillonibus *ita* Festus. Vespillones dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis volucribus (vespis) sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.

2 *Hæc autem Vulcanus ad Jovem ipsum ægrotum loquitur*

Macte animis: nostin' Vulcanum Juppiter? [3] Eheu!
[4] Tu furis? hirsutas timor albus pectore setas
Arrigit; exuperat labris gravis halitus. [5] Eheu.
[6] Tentemus fauces: linguam resupinus hiulcam
Exerta. ut fœtet! nunc, quid mihi vena fidelis
Nunciet, experiar. nosco primordia morbi;
[7] Cœnasti nimiùm: stomachus compage soluta
Laxatur, patinis multùm gladiantibus unctis:
Hinc tremor, hinc vomitus, sudor, fastidia, ructus,
Per thalamum hinc tibi lucta. bene est: sanabere; fixo
Pectore tu modò quæ dedero præcepta tenebis.
Sume leves malvæ succos, cannęque medullam
Eoæ, extracto Bromiæ cum pulvere vappæ:
Addere queis urnas jubeo glacialis aquæ sex;
Omnia quæ matutinus sorbere memento.
Vespere dein primo fumosum sume papaver,
Coniferæ & baccas terebinthi, opiumque soporans;
Post hæc Ionias, quotquot sunt, sterte [8] Kalendas.
[9] Eheu! quid refert Medicis, peream ve cicutâ?
Jejuno peregrina paras tu [10] plasmata ventri,

3 *Juppiter ægrotus suspirat.*

4 *Iterum Vulcanus Medicus.*

5 *Iterum suspiriosus Juppiter.*

6 *Vulcanus loquitur.*

7 *Irridet medicos imperitos, Vulcani exemplo, qui Jovem capite laborantem curaturus, ventri tanquam cibis expleto, remedia adhibebat, malvas, catapotia ex medulla cannæ Orientalis, vulgò,* cassia, *& vini fæcem emundatam, & in pulverem redactam, vulgò,* Cremor tartari.

8 *Ad Græcas Kalendas soluturos dicebat Augustus apud* Suet. c. 87. *eos, qui nunquam erant soluturi: nam Græci Kalendas non habent.*

9 *Redit Juppiter ægrotus ad suspiria.*

10 Plasma *pro medicamento ad vocem juvandam posuit*

Cum laxum miserè cruciet me sinciput. aude,
Mulciber, & potius generosam illide bipennim,
Morbus[1] ubi est. tu nutas, Mulciber? hei mihi! paulum
Si cessas, cinis, & manes, & fabula fio.
[2] Expecta. titulum quæris si mortis honestæ,
Et pudet ad [3] Fratrem [4] sicco descendere fato,
Accipe ferratum, quod quæris, [5] pharmacon. ast, ò
Fœturam egregiam divini [6] verticis! en ut
Fœmina bellatrix, fracto ceu pullus ab ovo,
Prosilit; en hastam, pictamque ferocula peltam
Stringit in obstantes acies Virguncula Pallas.
Juppiter obstupuit; Superi risere; diuque
Hæc fuit in toto notissima fabula Cælo.
Tantæ molis erat sapidis dare Numen [7] olivis.

Pers. Sat. 1. liquido cum plasmate guttur mobile colluerit. *hic pro quolibet medicamento usurpatur.*

1 *Juvandum hoc Jovis gestu suum caput innuentis, & ostendentis Vulcano, ut illud securi feriat.*

2 *Redit sermo ad Vulcanum,*

3 Ad Fratrem, *idest ad Regnum Plutonis, qui Jovis est Frater.*

4 Sicco fato, *non cruento, ut sicca morte dixit* Juven. Sat. 10.

5 *Et cum dicto, Jovis caput securi percutit, quam appellat,* pharmacum ferratum.

6 *Obstupescit Vulcanus è Jovis percusso cerebro Minervam enasci.*

7 *Constat Minervæ sacram oleam esse, cujus etiam inventrix eadem fuit.*



SATYRA V.

Ad Ponticum, Logicæ Candidatum.

ARGUMENTUM.

LItterarias altercationes alere ſtudia Philoſophica: nec idcirco ſolis eadem clamoribus conſtare. Proponuntur quædam animadvertenda Logicæ Candidato. Fabula de Milite Doctore. A pietatis ſtudio dirigi oportere Philoſophicas diſciplinas. Fabula de Salſamentario & Logico. Item alia de Caupone, & Platonis diſcipulo. Rerum naturalium obſcura pleraque & incerta provocare ſtudioſos ad animi demiſſionem. In Philoſophicis ea Vero propiora eſſe, quæ Religioni ſunt magis conformia. Fabula de Simia capillata.

DIgreſſum noſtris doleo te, Pontice, [1] caſtris:

1 *Sua Caſtra dixit Claſſem Rhetoricæ facultatis, quam Au-*

Sed simul ingenua, qua polles, indole dignum
Propositum laudo; quòd pulchro impendere curas
Instituas Vero, rerumque exquirere causas,
Et doctâ Cyrrhæ saltus mutare [2] Stagirâ.
Jacturæ sed & ista feram solamina, torvæ
Proxima Musarum quòd sedibus [3] Aula Minervæ
Adjacet: ad Logicum brevis est à Rhetore tractus;
Dividimur [4] muro, ut nosti, non ampliùs uno.
Sed licet ille rudi saxorum surgat acervo,
Marmore nec Pario, nec multo [5] Tibure firmus,
Tu quidquam muro fuge credere durius illo.
Non illi scopulo affixum [6] Camenecon acuto,
Turritasque [7] Budæ pinnas, vallumque [8] Namurci
Comparo, solicitæ non propugnacula [9] Lucæ,
Populeâ viridi flexu crinita coronâ,
Ipsa etiam tormenta super ludentibus umbris.

thor annos decem & octo Romæ docuit.

2 *Saltus Cyrrhæ, quæ Phocidis est Oppidum prope Parnassum, pro Classe Rhetoricæ; Stagiram, quæ Aristotelis est patria, pro Logicæ Classe posuit.*

3 *Classis Logicæ.*

4 *Loquitur de Rhetoricæ & Logicæ Classibus Collegii Romani, quæ contiguæ sunt.*

5 *Marmore Tiburtino.*

6 *Camenecum. Arx in Polonia munitissima.*

7 *Buda, inter præcipuas Urbes Pannoniæ.*

8 *Namurcum. validis viribus Urbs, ejusdem nominis Provinciæ caput in Belgio.*

9 *Luca. nobilis in Etruria Civitas sui juris. Hujus præmunita mœnia cum perpetuo terræ agere, ea sunt latitudine, ut plures commeantes currus facile recipiant. Iter vero illud universum, æstui arcendo, opacis arboribus inumbratur, magnifico venustissimoque spectaculo. ideo umbras arborum dicit super tormentis bellicis ludere.*

Scilicet [10] insontes lapides, cæmentaque culpæ
Nescia, rixantis multùm clamosa Lycæi
Tundit hiems; Ætnæ incudem ut ferratus hiulcat
Malleus, Euboici vel saxa [1] Capharea fluctus.
Qui fremitus, quantus rumpit [2] subsellia clamor,
Tempestas si quando [3] Platonica murmure primo
Fervet, & [4] impulsis surgunt ad prælia sellis,
Fornicis effractos arcus, & proxima findit
Atria cum [5] Blittri vox decertata recocti!
Credas præcipites cum curribus [6] Amphiaraos,
[7] Nubigenas ruere aut Æmo frondente bimembres.
Hic verò intortis curta [8] Enthymemata fundis

10 *Intellige murum, qui Rhetoricæ Classem à Logica dividit, quem à Logicorum disputantium clamoribus quotidie pulsari, obtundique memorat.*

1 *Caphareus. Mons in Eubœa, illustris naufragio Græcæ classis à bello Trojano redeuntis.* Saxa triumphales fregere Capharea puppes. Proper. l. 3.

2 *Scamna, quibus Logici assidentes à Magistro dictata calamo excipiunt.*

3 *Disputatio Philosophica.*

4 *Post auditum Præceptorem solent Logici in Collegio Romano circulos aliquos suis scamnis conficere ad disputandum.*

5 Blittri. *celebre Logicorum terriculum. Vox pro exemplo excogitata, ad prænotandam vocem significationis expertem.*

6 *De Amphiarao vide quæ diximus* Sat. 4. pag. 114.

7 *Centauros e nubibus, ut ferunt, procreatos.* bimembres, *quia superiori parte homines, inferiori equi fuisse sunt crediti. Thessaliæ populi fuerunt, qui primi mortalium equos domitasse, & in iis pugnasse dicuntur. Inde ansa Græcis Vatibus, ut monstra esse dicerent, &, quod illis usitatum, vero fabulæ laciniam attexerent.* Æmus, *mons in Thessalia.*

8 Enthymema, *animadversionem interpretatur* Quintilianus. Tullius in Top. *exponit*, quæ ex contrariis concluduntur. *A Poeta accipitur in sensu Dialecticorum, pro Syllogismo imperfecto.*

Stridere quid memorem, [9] syllogismosque trisulcos,
Argutumque [10] epicherema, & quæ vulnus utrinque
Infligunt, gemino metuenda [1] dilemmata cornu?
Si placet, adjicias frameas, [2] pyloclastra, [3] sarissas,
Spicula, [4] balistas, catapultas, quidquid acuta
[5] Porphyrius tegit in pharetra. [6] diducere risu
Nec Cynico malas, palmisque allidere palmas
Est satis, & doctâ socium [7] irrorare salivâ;
Ipse etiam, credas?, sævit [8] calcaneus; audax
Perstrepit, & terram tunicato [9] subere pulsat.
Hìc bonus amissum doleat clametque pudorem,

9 Syllogismus. *perfectum, & validissimum argumenti genus. de quo vide* Gell. l. 15. c. 26. trisulcos *dixit, quia tribus constant enunciatis. secundam syllabam producit exemplo Sidonii Apollinaris.* argumentosis dat retia syllogismis.

10 Epicherema. *argumenti genus, quod* aggressionem *exponit* Quintil. l. 5. c. 10.

1 Dilemma, *syllogismus cornutus appellatur à* Gellio, *quòd argumentum sit, adversarium utrimque capiens.*

2 Pyloclastrum. *Italicè* pettardo. Serr. Synon.

3 *De Sarissa diximus* Satyr. 4. pag. 123.

4 Balista. *machina muralis, qua lapides, & jacula torquentur.* Catapulta. *machina omnis generis jacula procul effundens.*

5 *Respexit Poeta ad illud* Francisci Petrarcæ.
Porfirio, che d'acuti sillogismi
Empiè la dialettica faretra.

Porphyrius, *Aristoteleæ doctrinæ cultor, & interpres eximius, de Dialectica optime meritus.*

6 *Irridere, ut sæpe fit, adversarium in disputatione.*

7 *Concertationes Philosophicæ spumam in os concire solent, quæ sæpe in adversarii vultum jacitur inter loquendum.*

8 *Terram etiam pulsare calcibus solent, qui fervidiùs disputant.*

9 *Pede calceato terræ illiso. sæpe autem sutores imam cal-*

[10] Latius & tendat buccas Hortensius ambas;
Qui, vetus Orator, toto non ampliùs ævo,
Ter pede [1] pressit humum. [2] Arpinas exempla sequutus
Sobria, rostra semel pulsavit calce diserto,
Dixit ubi; [3] Excessit Catilina, evasit ab Urbe.
Hos inquam assultus, atque hæc certamina tanta,
Hos fremitus, qui nos dispungit limite parvo,
Sustinet invictus paries, nullâque fatiscit
Abscissus rimâ; minimo nec ridet hiatu.
Nec brevis [4] obsidio est; numerat jam secula bellum,
Integrat inque dies vires; ut cedere possit
Fessa malis [5] Ostenda, & quæ vix victa reperta est,

cei partem, ob majorem levitatem conficiunt ex subere, vitulina aut simili pelle contecto. ideo dixit, tunicato subere.

10 *Genas eos inflare videmus, qui paulo commotiore animo loquuntur.*

1 *Hortensium, & Tullium perraro, inter orandum, calcibus Rostra pulsasse, conjicit scilicet Poeta, & gratis asseverat, ad gratiam huic loco conciliandam.*

2 *M. Tullius Cicero, Arpini, quod est Campaniæ Oppidum, natus.*

3 *Nota sunt Ciceronis verba illa de Catilina.* excessit, evasit, erupit.

4 *Mirum esse ait, parietem illum, qui suam Rhetoricæ classem à Logica dividit, à tot clamoribus, & Philosophicarum disputationum impulsibus detrimenti nihil cœpisse; præsertim cum pugna illa clamosa, ac veluti obsidio sæculum bene magnum obtinuerit. ut proinde prædictus paries longè superet gloriam longissimæ obsidionis, qua perfunctæ sunt insignes Urbes, quas postea enumerat.*

5 *Urbs maritima in Belgio, annos tres ab Hispanis obsessa, & tunc demum capta, cum minimum ædificiorum superesset; quippe omnia Hollandi consumpserant, firmandis subinde recessibus, post amissas primas munitiones.*

Et [6] Crete, pretium lustri sudantis anhelum;
Quæque annos Jove sub rigido stabulare Pelasgos
Vidit Troja decem, lusco si credis Homero.
Tu tamen intacti haud stupeas miracula muri.
Tuta silex satis est lauro Parnasside; claræ
Tantus honor frondi, & sacræ reverentia baccæ.
Ergo jubes, dices, tota clamante palæstra,
Saxeus ut sistam descripto [7] Terminus agro,
Consutis labiis, miseræque [8] abstemius auræ?
[9] Ponticus hæc Logicus? fallit pede clausula [10] varo.
Est aliquid medium clamantes Orgya [1] Bacchas
Inter, & [2] Harpocratem: non sis te [3] Stentora nolo,
Exieris mihi [4] Pythagoræ de fratribus unus,

6 *Urbs, ejusdem nominis Insulæ Regnique caput, à Turcis post annos quinque expugnata.*

7 Terminus, *propriè limes agrorum, à terendo dictus, quod hæ partes maximè atterantur. Deus etiam* Terminus *est habitus, cui Festa Terminalia Romani instituerunt.* Terminos *demum rudes è saxo statuas dicimus, pro agrorum limitibus positas. sensus est; silendumne igitur mihi erit, tanquam statuæ Terminali?*

8 *Ut ne aerem quidem traham ad respirandum?* Abstemius, *propriè sobrius, quasi à temeto, idest, vino abstinens.*

9 *Respondet Poeta. Hæccine tam parum consectaria à meis dictis deducas, Pontice, & quidem jam Logicam attingens, qualem in intelligendo minimè decipi oportuit?*

10 Clausulam, *dixit consequutionem syllogismi à duplici priore enunciato.* Vari *dicuntur, qui obtorta habent crura.* Pers. Sat. 4. fallit pede regula varo.

1 *De Bacchis sive Bacchantibus diximus* Saty. II. pag. 52.

2 *Harpocrates, silentii Deus apud Ægyptios.*

3 *Stentor, bipedum vocalissimus apud Homerum.* Stentore clamosior. Adag. exclamas, ut Stentora vincere possis. Juven. Sat 13.

4 *Qui silentii laudator perpetuus.*

Alliaque, & solás effles ad sidera [5] cepas.
[6] Solve uterum, proferre licet quodcumque minaris;
Expue ter, docta pulmonem diffue tussi:
Nec clamare veto; caveas sed, Pontice, multùm,
Fabula ne dicat; [7] *Vox*, *Vox* ... tu cætera nosti.
Ad summam, solido certamine confere voces;
Hoc benè fit; vano miseras ne perde boatu.
Vive memor longè diversi moris, [8] Homerus
Quo solet Ajacem, quoque insignire loquentem
Regnatorem [9] Ithacę. nam cum [10] Dux ille profatur,
Hæc, inquit, [1] Telamone satus profundit ab ore:
Sed contra, cum verba facit [2] Laertius Heros,
Hæc Ithacus, dicit, trahit imo pectore dicta.
Nimirum stulti eloquium culpabile summis
Nascitur in labiis; veniunt de pectore, profert
Quas voces Sapiens. Ajax profundit; Ulysses
Verba diu meditata trahit. nil proferet unquàm
Censurâ vacuum, cujus de pectore sermo
Non salit, effusus temere sed gutture prono est.
Profuerit Sophiæ implexos proponere nodos
[3] Palladio Oedipodæ, qui cæca sophismata solvat,

5 *Quas Pythagoræi avidè esitabant.*
6 *Produc, quæ habes in mente; eloquere.*
7 *Subaudi*, prætereaque nihil; *quod de cornice dictum est, minimùm carnis, vocis plurimùm habente.*
8 *Homerus Ajacem stolidè ferocem ex ore verba fundentem inducit; Ulyssem, & Nestorem eadem de pectore trahentes. verè siquidem stultorum sermo in ore nascitur, sapientis in pectore.*
9 *Ulyssem Ithacæ Regem.*
10 *Ajax.*
1 *Ajax, Telamonis filius.*
2 *Ulysses, Laertis filius.*
3 *Præceptori, sive Hypodidascalo, quem* Oedipoden, *sive*

[4] Dædaleis fabricata dolis. quæ mane Magister,
Vespere quæ docuit calidæ sudore palęstræ,
Excoque: pugnaci gaudet Sapientia circo.
Spes addiscendi quacumque ex parte refulsit,
Continuò totis illuc contende lacertis:
Scire dabit tibi multa, fames ardorque sciendi.
Φιλομαθὴς, dixit [5] fautor Busiridis, ἐςὶν
[6] Πολυμαθὴς. factum secum putet ille beatè,
Et didicisse satis, qui vitæ ponere causas
In sola didicit jucundi indagine Veri.
Sunt qui Palladiæ oderunt discrimina pugnæ,
Ut pueri fugiunt nigræ [7] occursacula noctis,
Æger ut autumnum, Medicus sine febribus annum
Ut metuit, puraque leves cum Najade fontes
[8] Marguttes, venas [9] cataphracto lotus Iaccho.
Non illis furcâ extundas miserabile verbum:
Sedulus at labor est, patulis ne scripta [10] fenestris
Effugiant, omnes calamo supplere lacunas.

Oedipum *dicit; nam ut iste solvebat ænigmata, ita ille discipulorum in excepta Doctrina hæsitantium scrupulos eximit.*

4 *Solertibus, ingeniosis, Dædalo solertissimo artifice dignis.*

5 *Isocrates. cujus extat Oratio in laudem Busiridis.*

6 *Isocratis est sententia.* multa cupiens discere, multa discit.

7 Occursaculum, *vox Apulejana in Apolog.* omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepultorum terriculamenta.

8 Marguttes, *Comessator, & Sycophanta satis notus apud Etruscos Fabulatores. Vide* Morgantem Pulcii.

9 Cataphractus, *undique armatus. vinum intellige robustissimum.*

10 *In excipiendis Magistri lectionibus, non paucos hiatus, & lacunas relinquunt discipuli, quibus minùs prompta est ad scribendum manus; eas verò domi supplent, ut integra habeant scripta.*

Ebria fallaces geminet si [1] fistula guttas,
Corradunt cultris, clari de stirpe [2] Cinatti.
Munditiæ cordi; nitidissima semper arundo
In loculis. quid plura? putant, si pagina docta est,
Jam se Cecropiam morsu [3] decerpere olivam;
Scilicet in solâ discendi cura papyro est.
Quæruntur chartæ, quas [4] ora Ligustica, vel quas
Lugdunensis habet, vel tu, Fulginia, mittis,
Sueta bonos etiam, nisi fallor, mittere [5] funes.
Cannabis intortæ sed si tibi [6] copia tanta est,
Publica tu largè peccas in commoda, quæ non
Fortibus adstringas vinclis tot mentis egentes,
Per medias Urbes quos cernimus ire solutos;
Sed mage desipiunt, magnâ quàm cujus in ollâ
Invenit cerebrum mediis [7] Astolfus in astris.
Ergo candentes chartas ubi nacta juventus,
Quam dixi, solitos scribendi [8] flectit in usus;
Pagellisque simul sociat jungitque quaternis.

1 Fistula. *calamus scriptorius.*

2 Cinattus, *notus in vulgus, eximius cultellorum artifex, & politor.*

3 *Satis Doctrinæ assequi.* Oliva *Palladi sacra.*

4 *Præcipuo in pretio sunt chartæ, quæ proveniunt ex Janua, illustri Liguriæ Civitate; ex Gallia, cujus Regni Civitas est ampla Lugdunum; ex Fulginia,* Foligno, *Umbriæ Oppido.*

5 *Funes, ingenti copia construuntur apud Fulginienses.*

6 *Conqueritur cum Fulginiensibus, quòd licet innumeros fabricent funes, adbuc major sit stultorum numerus, qui soluti per Urbes excurrunt.*

7 *Astolphus Anglicus in equo alato Lunam adiit, quæsitum Comitis Orlandi cerebrum, quod demum prægrandi olla clausum invenit.*

8 *Chartas describit, quadrifariam complicatas ad usum discipulorum.* Quinternetti.

Excidat attritu moles ne [9] fluxa, peritâ
Ducta manu medias nectunt bombycina fila:
Turgidulum in nodum pars definit ultima rubri
Staminis, & nitidis lascivit pagina floccis. .

Scribere si jubeas, virgato regula buxo
Membranam [10] subit. æquali stant ordine nervi
Glutine viscoso; summo si presseris ungue
Extantes, rectum calamo tumefacta papyrus
Monstrat iter; secus in prçceps vaga dextra feratur
Extra anni solisque [1] vias. Properante lacerto
Scribentem sed Luna decem cum viderit [2] orbes;
Socraticum [3] October claudit cum musteus annum,
Librorum Sutor, tota celeberrimus Urbe,
[4] Matthęus petitur. [5] Palantes necte libellos;
Indue [6] loricâ vituli prænobilis; auro
Fulguret. interea cautus tu nobile serves
Depositum jubeo; si quid scio, amicule, chartis
Id totum, mihi nempe situm est, & clauditur istis.
O miser, inque dies ultra miser! aurea prodest
Quid facies [7] domui, si tu peregrinus in illa es?

9 *Subaudi*. pagellarum.

10 *Describit regulam buxeam, ad ordine distinctèque scribendum*. Falsa riga.

1 *Intellige, extra præscriptum à regula buxea: quod expressit per jocum, illo Virgilii* l. 6. *Hemistichio*, extra anni solisque vias.

2 *Decem menses Logicæ addiscendæ discipuli impendunt. Autumno vacant à lectionibus*.

3 *Intellige ferias Autumnales*.

4 *Librorum consarcinator, Romæ notus*.

5 *Quinterniones dissolutos*.

6 *Venustæ pellis integumento; quod scripta custodiat, & tueatur, ut lorica militum pectora*.

7 *Minimùm referre ait, Magistrorum scripta perpolita ser-*

Quos

Quos auro ſenſus, & Eoa pelle decoras,
Condere debueras animo priùs. iſta ſupellex
Non abaci, demens, animi eſt; & pulchra videri,
Non oculis, ſed mente petit: ſi percipis illam,
Eſt ornata ſatis, [8] retinacula ſerica quamvis
Illi defuerint. ſcelus eſt [9] fucare Minervam.
Evolve annales Græcorum: nuda [10] Cleanthes
Oſſa ſuper magni ſcribebat dicta [1] Magiſtri;
[2] Pagina diſcipulum meliùs Zenone docebat.
Quadrupedem phaleris ſanus nemo [3] æſtimet aureis:
Non gladium capulus, radiatus iaſpide fulva,
Commendat, dubiam non ſerica vela carinam:
Otia nec ſi te ſummâ nitidum cute perdunt,
Profuerit ſcriptis [4] corii vagina nitentis.
Sunt alii, melior finxit queis corda [5] Prometheus,
Largiùs & claro ditavit pectora [6] furto:

vari ab iis diſcipulis, qui eadem, lectitando, ſtudendoque, percipere negligunt.

8 *Flocci ſerici, ad ornatum ſcriptorum.*

9 *Scripta Philoſophica non indigent iſtis ornamentis.*

10 *Cleanthes mortuorum oſſibus, & teſtulis fictilibus ſcribebat, quæ à Zenone accipiebat, cum coemendis chartis pecunia non ſuppeteret.*

1 *Zenonis Principis Stoicorum..*

2 *Licet Zeno præclara diceret, certè utiliora Cleanthi objiciebat ipſa charta; oſſa videlicet mortuorum.*

3 *Scripta Philoſophica non habent pretium ab ornatu chartarum; ut Equus non æſtimatur à ſpecioſis phaleris.*

4 *Integumentum ſcriptorum ex ornata pelle, ſupra loricam dixit, hic vaginam appellat. ſententia eſt: ut præſtans vagina non facit ad bonum enſem; ita inaurata pellis nihil facit ad bonum uſum ſcriptorum.*

5 *Tradunt fabulatores, Prometheum ex limo coagmentatum primum hominis ſimulacrum, igne è rota Solis direpto animaſſe.*

6 *Igne à Solis curru clam rapto. intellige præſtantem animum.*

Desidia ast animos vecors, mollissima Siren,
Fascinat: oderunt ingratæ rauca cathedræ
Murmura, nec magnam labor est invadere famam.
Dic, age, [7] Palladio metuis si pulvere tingi,
Limina cur Sophiæ pulsas? [8] Est meta laboris
[9] Annulus, & doctas ornant quæ pilea frontes.
Parendum [10] patruo est; qui me properanter obire
Hoc jussit [1] stadium, Latiæ maturus ut Aulæ
Civiles curas, [2] Innocentique tribunal,
Lucrosumque Forum pertractem: me quoque possit
Ut, si collibeat, sublimem ferre jocosâ
[3] Prænestina rotâ; liceatque extendere paulum
Fortunas tenues; & cur non insuper [4] illuc
Tendere, devectos quò plures Roma frequenter
Obstupet, haud equidem natos [5] melioribus? Ergo
O me felicem, post tres non amplius annos,
Doctorem præstans si me [6] Macerata salutet;

7 *Si laborem litterarium refugis.*

8 *Verba sunt Discipuli cujuspiam, qui ad loquendum inducitur. excusat autem suam inertiam, quòd invitus accesserit ad studia Philosophica, & solùm ut majoribus natu obtemperaret.*

9 Annulus, & Pileum, *nota eorum Insignia, qui in aliqua facultate Doctores renunciantur.*

10 *Qui me invitum ad hæc studia impulit.*

1 *Disciplinas Philosophicas.*

2 *Curiam Innocentianam in Monte Citatorio.*

3 Prænestina. *intellige Fortunam, quæ Præneste Templum habuit illustre, cujus pavimentum lithostrotis stravit L. Sylla, ut refert* Plin. l. 36. c. 21.

4 *Ad honores etiam primarios.*

5 *Majoribus clariori genere. Horat. Serm.* 2. *Sat.* 4. Non ita Troję me gessi, certans semper melioribus.

6 Macerata, Firmum, *Piceni Urbes cum illustri Academia.* Perusia, *nobilis in Umbria Civitas, cum insigni Archigymnasio.*

Aut Perusina velit Gymnas, Firmique vetusti,
Aut [7] Antenorei (nam clara est fama) Patavj.
Pergameæ, ò felix, potiar si, Pallade dextra,
[8] Membranæ pretio, Hispanas ubi tessera ceras
[9] Cæsariana bibit; liceatque ostendere opimis
Claratam titulis [10] aquilam, cui [1] Fascia pectus
Ambit, quæ gemini molem bene marginet Orbis.
[2] At si pannosis amor est emergere vulgi
Sordibus, exiguam diducere latiùs & rem;
Aurea cœperunt si te [3] myrmecia; debes
Acriùs hoc [4] remis insistere: vinea solos
Ad Lunæ radios non [5] maturescit; opimas
Retibus includet tibi nec [6] sors obvia prædas

7 Patavium, *clarissimum litterarum Emporium, Civitas Venetæ ditionis ab Antenore condita.*

8 *Litteris publicæ authoritatis, quibus testimonium continetur acceptæ* laureæ, *quam vocant, Doctoris renunciati.*

9 *Diploma Cæsarianum, Hispanæ ceræ glutino impressum.*

10 *Aquila, Imperii Romani & Cæsarum Insigne.*

1 *Albi coloris fascia, Austriacæ Familiæ, ex qua Cæsares habemus, Symbolum gentilitium.*

2 *Respondet Author discipulo ad loquendum inducto.*

3 Myrmecia. *Latine,* caverna formicarum. *adagium ad exprimendas immensas opes, ab iis formicis desumptum, quas* Plinius l. 11. c. 31. *memorat in Septentrionali Indiæ parte, ubi Dardæ sunt populi, aurum egerere de cavernis.*

4 *Summis viribus contendere.*

5 *Parœmia est,* solis Lunæ radiis non maturescit botrus. *sententiam Poetæ sic accipe. quemadmodum uva non maturescit solis Lunæ radiis; sed Solis calorem exigit; ita minimum laudis lucrique referes à studiis Philosophicis, si illa leviter & oscitanter, non toto conatu impenseque excolueris.*

6 Dormientis rete. *adagium in eos, quibus feliciter res obveniunt, sine ullo ipsorum conatu: ortum vel ab eventu, cum dormientibus aliquando piscatoribus, pisces sponte se in retia*

Hibernum ad solem strato, rhonchosque trahenti.
Tu deses, pinguique tremens distentus [7] omaso,
Ut Lunam referas, toto sed [8] Fratre recepto,
Patricios inter sedeas, proceresque [9] Minervæ?
Audi rem dignam fastis. [10] Civilis Enyo
Europæ duro cum cederet arva flagello,
Iratâ [1] Nemesi natus, [2] Genioque sinistro,
Miles erat. genus & nomen non prodidit Author:
Novimus hoc solùm, Calvini castra sequutum,
Suspicor & genuit Calvino obnoxia tellus.
Conscriptus bello, montes lustrabat & agros
Vectus equo, nummis venalia vulnera pactus
Quattuor, aut septem, quando est pinguissima merces.
Forte viâ fessus celebrem divertit ad Urbem:
Excepit [3] madidum nitido cauponula tecto.

conjicerent, vel à quodam Timotheo, Duce Atheniensi, cujus summam in bello felicitatem, nullâ ipsius operâ, expressit quidam Pictor, Fortunam delineando, urbes & sceptra ad rete cogentem, ipso Timotheo juxta dormiente. Huc respexit Tullius in Verr. Act. ult. sed non idem mihi licet, quod iis, qui nobili genere nati sunt, quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur. rhonchus. *sonus, quem edunt, qui profundè dormiunt.*

7 Omasum, *pingue est crassumque intestinum.*

8 *Lunam in plenilunio. toto fratre, idest toto sole recepto.*

9 *Doctores, quos vocant, intellige.*

10 *Dea bellorum præses.*

1 Nemesis. *Dea ultrix facinorum impiorum. alio nomine* Rhamnusia, *&* Adrastia *appellatur.*

2 Genii. *Dii tutelares. dicti ab antiquo verbo*, geno, *quod est* gigno, *nam vim habere rerum gignendarum crediti sunt. eosdem Plato non uno in loco, & Cebes Thebanus* in Pinace *Dæmones dixerunt. Vide* Martinium.

3 *Sudore, ex itinere contracto.*

Dum bulgas [4] vernæ ſolvunt, [5] obſonia curat
Dum caupo, veteri dum ſtillant vina [6] diotâ,
Militis ut mos eſt, viridi conſedit in herba.
Extrahit hic [7] fruticem, quem victa Braſilia mittit,
Fumiferum; cerebro quo non præſentius ullum
Auxilium venit, humentes cum pinguior aer
Mane ciet primo nebulas, craſſoſque vapores
Adducit. claudit conciſas [8] orcula frondes
Fictilis, anguſto leviter tornataque collo,
Stipatæ ſegetis cumulos ventroſa receptat.
Porrigit exiguum qua parte anſata foramen,
Admittit teretem calamum, ſeque arctiùs illi
Alligat. admotos ubi fiſtula ſuſcipit ignes,
Inſeritur labiis. libat [9] jentacula Miles
Grata, vaporatas longis [10] ſiphonibus herbas.
O felix! ſtipulâ dives, fumoque beatus.
Interea litui circum, miſtuſque tubarum

4 Vernæ *dicuntur ſervi, domi nati. à Vere nomen deducit* Feſtus, *quod id tempus ſit fœturæ maximè commodum.*

5 Obſonium, *aliis opſonium, quidquid cum pane ſumitur. ſed propriè de piſcibus dici*, Voſſius *contendit, & ſuadet origo vocis Græcæ.*

6 Diota, *vas vinarium fictile.*

7 *Herbam Sanctam, aliis Nicoſianam. vulgo*, Tabacco; *cujus magna vis in Braſilia, Americæ regione, naſcitur. fumiferum dicit; nam hujuſmodi eſt, quod ſorbillatum ex orcula à Poeta infra deſcribitur.*

8 Orcula *fumaria. Italis*, pippa. *orca, vas anguſto collo.*

9 Jentaculum, *aliis jantaculum, cibus, qui ſumitur ante prandium.*

10 Siphones, *propriè ſunt canales, & tubi, quibus aqua, vel alius liquor emittitur. hic pro arundine fumaria ſumuntur.*

Audiri [1] fragor · exurgit [2] fuligine potâ
Ebrius, & lapsante gradu conterritus: Arma,
Ociùs arma, viri, clamat. cauponia coniux
Risit cum pueris; &, Falleris, ò bone, dixit,
Marte vacat regio: [3] cristas compone feroces.
Læta triumphali resonant quæ classica cantu,
Egregio plaudunt juveni, qui Palladis arctâ
Impositus [4] trutinâ, naturæ enodat [5] amussim,
Et miseris quæ [6] scire nefas cauponibus. illum
Socraticos inter numerat nunc Curia [7] Patres;
Inde domum laudes, & Pilea docta reportat.
Festivæ tangunt si te spectacula pompæ,
Hàc [8] iter est; lævâ paulum deflecte; licebit
Visere, dum pingues torret tibi vernula turdos.
Nec mora. sublimes extemplo evasit in [9] ædes.

1 *In ea Urbe, quò miles advenerat, juvenis quidam Magistri Insignibus tunc forte donabatur, tympanis, ut assolet, tubisque festivos sonos edentibus. eum quasi pugnæ militaris sonitum miles interpretatur. attende ad reliqua.*

2 *Herbæ Nicotianæ fumum intelligit, qui in tubulis, quibus exorbetur, fuliginem quandam tetram relinquit.*

3 *Animum exultantem more militari, auditâ tubâ, tanquam continuò esset pugnandum.*

4 Trutina, *idem quod statera. populari trutina aliquid examinare, dixit* Cicer. l. 1. de Orat.

5 Amussim, *alii regulam, alii filum rubrica infectum interpretantur, quo fabri materiarii locum in asseribus ad secandum præsignant.*

6 *Studia altiora, quàm pro Cauponum vili conditione captuque.*

7 *Inter Magistros, aut Doctores.*

8 *Concipias gestum, aliquem in Urbe locum Militi hospiti designantis, ubi prædictus juvenis in Magistrum reponebatur.*

9 *In Ædes publicæ Academiæ, ubi laureæ novis magistris, seu Doctoribus traduntur.*

Omnia collustrat; mediamque ocreatus in aulam
Se penetrat. poscit mordaci [10] scommate, quanti
Curia Doctores vendat. qui proximus illi
Adstabat, docti præses, [1] rectorque Lycei,
Res minima est, inquit: quatuor produxeris asses,
Doctor eris. [2] stupuit: mora nulla; fit [3] ære minuto
Palladis egregium columen splendorque togatæ,
Armisonoque [4] paludatus de milite Doctor.
Tubera non citiùs creat Autumnale [5] tonitru;
Non citiùs putres generat nox [6] imbrica fungos.
Ille tamen cum pileolo vixisse beatus
[7] Quadrifido, & gemmæ poterat [8] digitalis honore,
Nil ultra si tentasset: sed pergit acerbo
Ore [9] cavillator. [10] Socius mihi bella paranti
Est equus in stabulo. jubeas ascendere; nummos
Expediam; magnus fiat, precor, ille Magister,

10 Scomma, *cavillum interpretamur: mordax dictum, cum aliqua festivitate.*

1 *Lyceum: celebre Gymnasium prope Athenas, ubi Aristoteles suæ doctrinæ sectatores erudiebat.*

2 *Stupuit Miles, tam vili pretio Doctores creari.*

3 *Dinumeratâ pecuniolâ, Miles inter Doctores refertur.*

4 Paludamentum, *propriè chlamys Imperatoria. sumitur hic pro eorum veste, qui Magistri lauream accipiunt.*

5 *Tubera, terræ callos, sapidos ad vescendum, tonitribus gigni, docet* Plinius.

6 *Pluviosa.* Plaut. *in* Merc. Auster imbricus.

7 *Pileum in quatuor partes fissum. Doctorum insigne.*

8 *Annuli.*

9 Cavillator. *Irrisor, sed cum aliqua urbanitate.* Plaut. cavillator facetus, conviva commodus.

10 *Miles iterum alloquitur Præfectum Academiæ, rogatque, ut quandoquidem tantulo pretio Doctores crearet, id honoris, acceptâ pecuniâ, suo etiam equo traderet.*

Doctorem Doctorque vehat. Sed protinus[1] ille
Reddidit hæc contra. Rerum dulcissime, multùm
Falleris. haud equidem tali me dignor honore:
Alta nimis poscis: docto non cingere serto
Magnanimos audent[2] diplomata nostra caballos:
Soli hic Palladiâ lauro donantur Aselli.
Scilicet obriguit Miles, ceu[3] Marsya victus,
Arcadici pulli fraterculus. ergo lacertis
Adducit petasum frontem pudibundus ad imam,
Ora tegens; humeroque jacit villosa sinistro
Brandeburgensis mantelia[4] bardocuculli.
Cauponam repetit. jam surgere cœperat ingens
Quæstio de[5] turdis: sed equo calcaria subdit;
Et, brevior quà visa via est, impransus abivit
Per juga, per valles; etiam nunc currere credas.
[6] Necte rosas: liceat postes vestire[7] corymbis:

1 *Rector Archigymnasii.*

2 Diploma. *litteræ Principum, publicæ authoritatis.*

3 *Marsya, tibicen, Phœbum ad cantum ausus provocare, à quo victus, detracta pelle, solvit pœnas nimiæ temeritatis. Sententia est. Miles mordaci Archimagistri responsione perstrictus, quâ fraterculus Arcadici pulli, idest asellus erat declaratus, vocem sensumque amisit, ut Marsyas ab Apolline excoriandus; depressoque ad frontem petaso ob pudorem, penulâque viatoriâ involutus abscessit.*

4 Bardocucullus. *vestis, qua milites in castris hyemare solent.* Brandeburgensem *vocat, quòd Italis passim dicatur,* Brandeburgo, *ab Oppido Germaniæ, cum perillustris Marchionatus titulo, & appellatione Septemuiri Augustalis.*

5 *De pretio turdorum, quos paraverat Militi caupo. Vide supra.* pag. 150.

6 *Fabellâ absolutâ, redit Poeta ad Puerum desidiosum; docetque frustra ipsum licet ingeniosum cogitare de Magistri laurea, tantâ præditum desidiâ.* Necte rosas, *ad ornatum, & pompam, tanquam obtentâ Doctoris laureâ.* Ironice.

Ingrediare domum media inter tympana: Doctor
Diceris: inseritur frustra sed caulis olivæ,
Si meruit [8] Columella fidem. vis, Pontice, dicam?
Nascuntur multi Doctoris Militis astro.
Dixerit hìc quisquam, Phœbo dilectior. At me
Nec mala Letheâ tangit socordia virgâ,
Nec lento venas obstipat inertia visco.
Discere cura mihi solùm est; aversaque nugis
Pectora titillant magnæ [9] crepitacula famæ.
Gratulor ingenium juveni prænobile: laudo
Fortè animum. [10] Figuli sed te quoq; dextra necesse est
Leviget, & rota quæ currit. Sapientia prima est,
Ut minimum se nosse putet, qui plurima norit.
Tu caveas, animum stultæ ne follibus auræ
Ambitio rapiat. Doctorum crede [1] Magistro:
Inflat plus æquo quæsita scientia. Multos
Perdidit ancipitis Veri sitis. ergo caduci
Vive luti semper, qua natus origine prima es,

7 *Corymbi, ederarum fructus.*

8 *Extant* Columellæ libri de re Rustica. *Sed quod ait Poeta, docere Columellam, caulis insitionem oleam non suscipere, per jocum hoc accipias eidem adscribi; ut doceat ignavum illum Juvenem, ab inerti pigroque ingenio frustra expeti honores Magistrorum.*

9 Crepitaculum. *æreum instrumentum, ad nolæ similitudinem, quod manu percussum sonum ciet. hujusmodi est quod appenditur collo bovis, qui ducit armentum, ut illum reliqui boves sequantur.*

10 *Metaphoricè dicit figulum pro Monitore.*

1 *Divo Paulo Apostolo, cujus est dictum.* 1. ad Cor. cap. 8. Scientia inflat. *vocat Apostolum, Doctorum Magistrum, potiori jure, quàm Dantes dixerit de Aristotele.*
Vidi il Maestro di color, che sanno.

Et patriæ memor [2] argillæ. [3] delirat arator,
Despiciat curvus nisi terram. consule Fastos,
Excute [4] Olympiades: tragicos tibi pagina monstrat
Quælibet eventus, exemplaque tristia. quantus
Gutture Cerbereo populos afflavit [5] Arius,
Terrarum Phaëton, quem totum exhorruit Orbem
Perdere, Bethlæum Romæ qui prætulit antrum,
[6] Dalmata? Abydenam quanto [7] Macedonius Urbē
Sulphure corripuit, Stygio & carbone notandus
[8] Nestorius, Byzantini fax altera Regni?
Sæcula sed radas propiora: expende Luterum.
Ambitio præceps, & cæca superbia solùm
Improba Saxonici [9] bubonis guttura solvit.

2 Argilla. *terra tenacior, qua figuli utuntur.*

3 Delirare *hìc sumitur in sensu proprio. lira est recta fossa inter sulcos, ut aqua defluat. hinc translatio ab Aratore;* delirare, *pro deflectere à recto.*

4 *Græci per Olympiades, quæ quinque annorum spatium continent, tempora supputabant.*

5 *Impius Hęresiarcha, Verbo Divino divinitatem ausus detrahere, pestis orientis, & occidentis.*

6 *S. Hieronymus in Dalmatia natus, totum pene orbem terrarum Arianum exhorruit.*

7 *Macedonius, Episcopus Constantinopolitanus, sacrilegus Hæresiarcha. præcipuè blasphemus in Spiritus Sancti divinitatem. dejectus ab Episcopatu à Concilio Constantinopoli habito anno* 359.

8 *Nestorius, Episcopus Constantinopolitanus, cujus in Verbum divinum, & Virginem Deiparam impios errores damnavit Synodus Ephesina, anno.* 431. *ipsumque de Sede Constantinopolitana deturbavit.*

9 *Luterum in Saxonia natum, bubonem vocat, ominosam avem, & feralem. bubonem dici à sono, quem avis illa edit, quemadmodum etiam upupam, ululam, cuculum, Author est* Varro.

Illa, Allobrogici cœno prognata [10] Lemani,
Calvini sobolem tetram, fatalia monstra,
Extulit. hos circum, [1] Lernæ truculenta propago,
Ceu diræ stipantur aves, [2] Chemnitius audax,
[3] Brētius, [4] Illyricusq; [5] Zuinglius, atq; [6] Melāchthō,
Quique Genevensi non impar [7] Beza [8] Magistro.
Prætereo reliquos; [9] breviaria scribere ne me,
Doctaque [10] Prateoli spoliasse volumina credas.
Ergo ne ruat in præceps mens devia recto,
Sedula compositos castiget regula mores.
Projice [1] sarcinulas, Stygio quæ pondere pennas
Debilitant animi: limo si corda tenaci
Extrices, toto liber spatiabere Cælo.
Si superas lustrare vias velit, essedа Phœbi
Non quæret Sapiens: superat Phaetonta superbum
Lychnus [2] Epicteti, quem soli præfero, quamvis

10 Lemanus, *Allobrogum lacus, Genevam alluens, nidus Hæreseos Calvinianæ.*

1 *Lerna, lacus in agro Argivo, ubi Hercules hydram interemit.*

2 *Martinus Chemnitius Luteranus.*

3 *Joannes Brentius, Luteri assecla, & fautor acerrimus.*

4 *Matthias Flacius Illyricus, Luteranæ pestis propagator, Arianismi nonnullis in locis instaurator.*

5 *Uldericus Zuinglius, novus apud Helvetios Hæresiarcha.*

6 *Philippus Melanchthon, Luteri sectator præcipuus, & Achates.*

7 *Theodorus Beza, Calvini studiosissimus.*

8 *Joanni Calvino.*

9 Breviarium. *compendium, opus concisum.*

10 *Gabriel Prateolus scripsit* Elenchum Hæreticorum omnium.

1 *Sarcinas vitiorum.*

2 *Epictetus, Stoicus Philosophus, cujus lucernam fictilem*

Stupeus exangui semper strideret [3] amurca.
Si tibi Carneades, Zeno, pannosus in ore
Si Cynicus, nardo nitidum cur vincere tendis
Unctus [4] Aristippum, & laudas [5] Sybarita Catonem?
Scilicet [6] Annæum sequeris, cui mascula labris
Corduba; molliculos sed finxit [7] Ionia mores.
Crantora, Anaxagoram, Zenonem æquaveris ipsum;
[8] Tendere si pronus, [9] palpo vitiosa libido
Quò te cumque vocat, si tu desertor honesti,
Alea si miserum perdit, caupona, Lupanar,
[10] Larus hians malim, vel stes ficulneus [1] Herma.
Portentum est, animi sudando quærere cultum
Desertorem animæ. Socios prævertere cursu

tribus drachmarum millibus vænisse tradunt.

3 Amurca. *Sordes olei.*

4 *Aristippus, Philosophus Cyrenaicus, victu lauto, & voluptario.*

5 *Sybaritæ, populi magnæ Græciæ, omnibus deliciis effœminati.*

6 *Lucium Annæum Senecam, qui multam in scriptis severitatem ostendit, à qua tamen vitæ cultu abhorruisse traditur: quod, disertè & cum indignatione, notat* Britannicus, *exponens illud* Juven. sat. 10. Senecæ prædivitis hortos: *nec dissimulat* Tacit Annal. 14. *Cordubam, Senecæ patriam,* masculam *vocat, gravem scilicet, minimèque enervatam.*

7 *Jonia. regio Asiæ minoris, cujus populi, ingeniosissimi voluptatum architecti.* Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo. Horat. l. 3. Od. *6.*

8 *Subaudi, es. si statim convolas, quò vitia provocant.*

9 *De palpo vide, quæ diximus,* Satyr. 3. pag. 84.

10 Larus hians. *adagium in stupidos. à Laro ave, quæ adaperto ore prædæ inbians, nullam, ut eâdem potiatur, adhibet diligentiam.*

1 Hermæ. *rudes erant statuæ, seu potius trunci, Mercurii effigiem referentes, qui* Herma *dicitur.*

Palladio, laudes & [2] primi pulveris ambis;
Congrediare prius tecum: te noveris ipse
Vincere: non opus Æmathios migrare [3] Philippos;
Pontice, cuique suum sæva est [4] Pharsalia pectus.
Cæcus Amor, trepidique metus, furor, iraque demens
Nascuntur sævi medio pulmone tyranni.
Si vigil hos dominos superet sapientia, salve
[5] Speusippo major, [6] Pandionioque Solone.
Accipe rem breviùs totam. verbosa Minervæ
Limina sic adeas, ut non tam doctior inde,
Quàm redeas melior. Quòd si tibi dexterior vis
Contigit ingenii, ne tu pulmonis anheli
Idcirco [7] Æoliam tendas; vestigia fastu
Nec moveas, qualis [8] grallator olympicus, inter
[9] Quisquilias vulgi, nullis cui tibia furcis

2 *Primos honores litterarios. Metaphora à cursoribus, quorum velocissimus à primo excito pulvere noscitur.*

3 *Philippi, Civitas in Thessalia, bello civili inter Pompejum & Cæsarem memorata.*

4 *Pharsalia, dicta est Thessalia; à Pharsalo ejus Provinciæ Oppido.*

5 *Speusippus, Platonis sororis filius. octo annos Platonicæ scholæ præfuit. Vide* Gell. l. 3. c. 17.

6 *Solonem, Legislatorem Athenienſium, Pandionium vocat, à Pandione Rege Athenarum.*

7 *Tendere, laxare pulmonem eos dicimus, qui suarum rerum amore, & gloria inflantur.* Æoliam pulmonis, *intellige crebrum aeris adducti usum ad respirandum, quod fit assiduo motu & quasi ventilatione pulmonum.*

8 Grallator *dicitur, qui grallis incedit. sunt autem* grallæ, *fustes tibiales, quibus qui nituntur, excelsiores ambulant.* Trampani. *à gradu magno Grallatorem dici, docet* Varro de ling. Lat. l. 6.

9 Quisquiliæ, *terræ purgamenta; metaphoricè, homines nihili.* Cic. pro Sext. Numerium, Serranum, & Ælium,

Nititur. In primis caveas ſed fallere quenquam
Decipulâ ingenii verſatilis; improbus ille
Ut Puer, ad raucæ fremitus rixaſque palęſtræ,
A [1] muriâ, & pernâ [2] ſalſamentarius olim
Quem miſit genitor: qui poſtquam prodigus omnem,
Dum ſocios cœnis eblanditurque merendis,
Rem male difflavit, decurtavitque paternam;
Dum ſenior queritur decreſcere [3] ſalgama ſemper;
Inque dies ventres thynnorum, amplaſque coacti
Imminui metas lactis, ſardaſque ſalitas,
Preſſaque doliolis quę [4] conditanea centum
Servaret populo; minimùm commotior illis,
Filius hæc regerit: Quin tu, pater optime, flammis
Tradere feſtinas tot peſſima ſcripta, [5] Poëtas
Præcipuè, quibus involvis [6] ſcombroſq;, garumque.
Improba myriadas murum [7] ſchediaſmata condunt:
Syllaba nulla vacat: nihil eſt compertius. Audi.
Mus [8] caſeûm rodit; ſed mus eſt Syllaba; dulcem

quiſquilias ſeditionis Clodianæ.

10 Decipula. *propriè inſtrumentum avibus vel muribus capiendis idoneum.* à decipiendo.

1 Muria, *liquamen eſt piſcibus condiendis.* perna, *coxa eſt porcinæ ſalitæ.*

2 *Qui facit, vel vendit ſalſamenta.* Pizzicagnolo.

3 Salgama, *quidquid ſale conditum aſſervatur.*

4 *Quæ condiuntur ad diu perdurandum.*

5 *Scripta Poetarum.*

6 Scombrus, *piſcis, ex quo ſapidiſſimum garum conficitur. eſt autem* garum, *maſſa ex inteſtinis piſcium ſale maceratis. fiebat primùm ex garo piſce, unde nomen garo liquamini.* Caviale.

7 Scheda, ſchedula, ſchediaſma. *chartæ ad manus, ſive libelli chartarum extemporanei.*

8 Caſeum *diſſyllabum fecit, metri gratiâ.*

Nempe igitur caseûm nequissima Syllaba rodit.
Obstupuit genitor, minimùm Dialecticus. artem
Damnosam jussit sed [9] puncto tempore natum
Deserere, & libros omnes; longamque salutem
Dicere [10] Chiloni, Cleobulis, & Periandris:
Non facere ad tenues merces, censumque pusillum
Causatus, puerum Doctorem pascere, murum
Qui tot [1] myriadas patrias induceret ædes,
Insigni cum labe, atque [2] absumedine tantâ.
Dum loquor, ut [3] cunei cuneos extrudere fortes
Sæpe solent, non absimilem semel incita sic mens
Suggerit eventum; quem si reticere laborem,
Vim passus, jecoris disrumpere retia possem.
Græculus, auditor magni cultorque Platonis,
Post longum defessus iter, farciret honesto
Prandiculo ut vires, cauponis tecta subivit.
Postquam [4] obsonavit lautè, migrare paranti
Villosâ ventrem succinctus cannabe caupo
Adfuit, & summis rationem & jura culinæ
Supputat in digitis. tanti [5] Lucanica; farris

9 *Puncto tempore*, *pro admodum brevi tempore dixit* Lucret. l. 4.

10 *Chilo*, *Cleobulus*, *Periander*. *tres ex septem Græciæ Sapientibus*.

1 Myrias. *Latine numerus decem millium*. Myriarchus, *Præfectus decem millibus*.

2 Absumedo. *consumptio*. Plaut. Capt. quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! quanta sumini absumedo!

3 Cuneus, *ferreum est*, *aut ligneum instrumentum*, *lignis findendis*. *fit autem ut altiùs inhærente cuneo*, *necesse sit altero cuneo primum expelli*. *inde vulgare effatum*: cuneus cuneum trudit.

4 *De obsoniis*, *vide supra* pag. 149.

5 Lucanica. *farcimen ex carne suilla*. *à Lucaniæ populis*,

[6] Pulticula, & pullus tanti est; [7] succidia tanti;
Vinum, si libeat, tantidem ponere possis.
Finierat. vultu placido sedatior alter,
Levâ lenè premens humerum plaudensque loquentis,
Talia dicta refert. Divino siqua Platoni
Danda fides, longa Cæli vertigine sæclis
Pluribus exactis, remeabit [8] maximus Annus,
Omnia cum veterem induerint renovata figuram.
Tunc (sed longa manet mensura atque ambitus ævi)
Tunc, inquam, flores iidem, qui prata colorant,
Dum loquimur, fontesque leves, plantæque redibunt:
Tunc iidem venient homines in luminis auras;
Quasque colunt artes, & quæ nunc munera tractant,
Hæc eadem peragent. quâ nunc demulcet avenâ,
Alliciet tunc Pastor oves; indagine cinget
Venator saltus, qua nunc complectitur illos;
Et fortis quæ tela jacit nunc miles, eosdem
Post multas hyemes eadem torquebit in hostes.
Tu quoque, cum magni rota se devolverit Anni,
Rursus eris caupo; mihi læta cibaria rursus
Appones; & quod pretium modo jure requiris,
Deposces iterum. Hospitii per sacra, Deosque,
Unum oro; liceat mercedem tempus in illud
[9] Protelem. Cæli cum venerit orbe peracto

quorum fuit inventum.

6 Pulticula. *diminutivum à pulte. cibus farina, oleo, melle, & caseo mistus.*

7 Succidia. *tergum porcinæ carnis salitæ.*

8 *De anno Platonico, vide inter alios, qui commentarios scripserunt in Ciceronis fragmentum, quod dicitur:* Somnium Scipionis.

9 Protelare, *est longe propellere, ut docet* Festus. *sæpe etiam protrahere, & differre significat, in quo sensu hic ab Au-*

Illa

Illa dies, nulla detracta parte rependam,
Quam dixti, summam. nec fatus plura, quievit.
Callidus, & proprio fraudes versare peritus
Munere, [10] figlinâque rotâ versutior alter
Hæc retulit contra. Si cuncta Platonicus Annus
Talia restituet, præsenti qualia fiunt
Tempore; persolvas nummos mihi protinus omnes;
Quos si detrectas mihi nunc numerare, nec illo
Tempore tu reddes; memoras si vera, reportant
Atque eadem prorsus [1] Nonæ, Lunæque Platonis.
Sensit prævalidâ rejectum [2] missile dextrâ
Græculus, atque suo captum se turpiter [3] hamo:
Cognovitque simul magnis sub paupere tecto
Esse locum ingeniis. pactis [4] auctaria [5] drachmis
Addidit; & meritò, qui doctior inde reverti,
Proficere & multum potuit, Caupone Magistro.
Hæc tecum fari me, Pontice, oportuit ipsas
Ante fores Logicæ. Sed postquam, Pallade dextra,
Structa Stagiræo pulsaveris [6] Organa Fabro,
Tunc nova te facies rerum, scrutandaque toto

thore usurpatur. super hujus vocis Ethymologia vide plura apud Vossium.

10 Versutior rota figulari. *adagium in eos, quorum est ingenium summè varium, & versatile.*

1 Nonæ *sunt, à quarum die ad Idus novem dies putantur. hìc usurpantur ad annum Platonicum demostrandum.*

2 *Adversus se retortum suum commentum de Platonis anno.*

3 *Idem quod supra. sumpta metaphora à piscatoribus.*

4 Auctarium *est, quod à vendentibus additur justo ponderi, vel mensuræ.*

5 Drachma *genus est pecuniæ, item ponderis.* Terent. in Andr. vix drachmis obsonatus est decem.

6 *Aristoteles præceptiones suas Logicas,* Organum *dixit, quasi instrumentum cæterarum disciplinarum.*

Excipiet Natura ſinu. quibus edita primùm
Prodierint cauſis quæ ſint, primordia rerum,
Protinus ediſces; ſi quidquam diſcere cæcas
Ambages inter licet, & caligine tanta.
Namq; [7] alii molem ingentem,maſſamq, rotũdo
Corpore ſublatam ſtatuunt ab origine prima,
Innumeris quæ nexa ſimul, penituſque ligata
Teſſerulis paribus, gemino ſe concita motu,
Impete concepto, rapidiſque cietur in orbem
Vorticibus; celeri flictu colliſus ut omnis
Angulus [8] aſtragalos veterem mutare figuram,
Eque [9] cubis totidem orbiculos concreſcere cogat.
Partibus attritis tum qui ſe tollit in altum,
Prætenuis loca ſumma tenet pulviſculus; expers
Squaloris fœdique ſitus, hinc ille refulſit
Igneus, emiſitque jubar puriſſimus Æther.
Pondere quæ lento ſubſidere craſſa neceſſe eſt,
Mortales colimus; modiciſſima, nomine magno,
Quæ nos ingentes Urbes & regna vocamus,
Oceanumque patrem, & geſtantes ſidera montes.
[10] Sunt qui, ſeminibus magnũ per inane coactis,
Maxima de minimis faciunt. [1] inſectile vulgus,
Particulaſque docent tenues diſcurrere paſſim;
Atque hinc innumeras rerum conſurgere formas,
Seu caſus varias, ſeu det ſtructura figuras.

7 *Innuit Syſtema Carteſianum.*
8 Aſtragalus. *Latinè* talus.
9 Cubus. *figura eſt undique quadrata. quales ſunt teſſeræ, ſive tali.*
10 *Innuit Syſtema Atomiſtarum.*
1 Atomos. *Latinè* corpuſcula, *quæ ſectionem non admittunt.*

[2] Sunt etiam quibus ætherei ſalis omnia gigni,
Sulphuris efflatuque putant; oleique natantis
Perſpicuus poſitis elementis additur humor,
Et phlegma exanimum, & [3] damnatæ nomine terræ
Quod vocitant. illis nimirum ducere vitam
Omnia conſtituunt, in quæ ſe denique ſolvunt:
Excipias animos, quibus eſt Cæleſtis origo.
[4] Grandiloquis demum clamoribus orta Lycei,
Materies late regnat, nec deficit unquam.
Impatiens neſcire thorum, laſſataque nullis
[5] Connubiis, negat ingratam producere vitam
Orba Sodalitio. prægnantia viſcera partus
Solvit in innumeros; ſobolem ſed mutat in horas,
Utilis ut rerum [6] variantia poſcit, & ordo.
Dum fœtus pereunt varii, ſubeuntque viciſſim,
Dum ſenio confecta cadunt, & adulta ſeneſcunt,
Ipſa immota manet ſemper, ſemperque ſuperſtes.
Huc ubi demenſo Logicæ perveneris arcto
Curriculo, haud dubiè nil firmum noveris illic,
Expenſi certique nihil conſiſtere. Sed te
Abripiat ne præcipitem temerarius ardor,
Naviter hoc iterum, atque iterum ſervare memento.
[7] Elige ductores, quorum ſuffragia primis
De rerum cauſis, vitæ morumque Magiſtra,

2 *Innuit Syſtema Chimicorum.*

3 *Sedimentum, quod è ſtillicidio remanet, minus craſſis per ignem extractis. Chimici vocant* terram damnatam: *idem appellare ſolent* caput mortuum.

4 *Innuit Syſtema Ariſtotelicum.*

5 *Connubia materię vocat ejuſdem unionem cum rerum omnigenarum formis.*

6 Variantia, æ. *idem quod varietas.* Lucret. l. 1.

7 *Magiſtros, ſectarum Philoſophicarum Duces.*

Relligio expendens magis approbet: illa labores
Dirigat ingenuos: studiosis hinc pete curis
Auspicium, ambiguis & certa [8] criteria chartis.
Demissos animos, lapsus memoresque [9] vetusti
Ut gererent homines, rerum non abdita solùm,
Sed quæcumque oculis circumlustrare, manuque
Attrectare licet, prudens Deus omnia cæcis
Demersit tenebris. vexat, dulcissime, vexat
Dura genus nostrum Veri penuria. nulla
Carior annona est. faciles monitoribus aures
Quid præbere juvat? nemo audet dicere Verum
Ipse sibi. insanum nimirum vivimus omnes
[10] Pygmaliona. operis testis, sponsusque, paterque
Quisque sui est; Judex nemo. [1] ramalia frontis
Unda licet tumidæ monstret; sibi quisque videtur
Esse, quod [2] Oebalides, teneris aut natus [3] Amyclis.
Collige quot cives Latia numerantur in Urbe.
Edicas, sedeant omnes: mox ora resolvat

8 Criterium. *Latine, vis ad judicandum.*

9 *Culpæ primorum Parentum.*

10 Pygmalion *Virginis simulacrum ex ebore affabre effinxit; cujus figuræ amore captus Venerem rogavit, ut illam sibi concederet uxorem.* Operisque sui concepit amorem, Ovidii Met.l.10. *sententia est. Amant homines sua omnia; non judicant, ut corrigant. Pygmalionem imitantur, figuræ eburneæ, quam formaverat, stultum amatorem.*

1 Ramale. *ramus arefactus, & inutilis.* ramalia frontis, *cornua intelligit, aut tubera in fronte, aut simile formæ dehonestamentum.*

2 Oebalides. *Hyacinthus, puer formosissimus, in Oebalia natus, Apollinis & Zephyri amoribus clarus.*

3 *Helena, Amyclis, quod est Laconiæ Oppidum, nata. hujus inspiciens partum teneras dixit* Amyclas.

Vocibus his [4] præco. Pictores protinus omnes
Consurgant. quid rere? manu tractare colores
Qui norunt surgent equidem; sed cætera turba
Sessitat. Athletas jubeas attollere frontem:
Surget luctator; sed non lanii, [5] ciniflonis,
Causidici aut videas sublimia colla. carebit
Sed res ista modo si te per singula ducam.
Ad summam, solus sese eriget ille, reposcit
Cujus privatam præco, designat & artem.
Sublato nunc ille magis sic pectore clamet:
Corpora corripiant de sedibus, ingenii vis,
Et quibus est acris solertia mentis. ad unum
Exurgent omnes. [6] rhonchis traducere possit
Prolixum ut numerum sapientum callidus [7] ille
Demorsor morum, cujus laternula nullum
Invenit bipedem mediis in millibus. Ergo
Suspecta est meritò, quæ se Sapientia fastu
Ostentat nimio, totis & concrepat alis.
Prodidit arcanum, fallit nisi fabula, verum
Simia sola. jocis si frangere seria dulce est,
Rem brevis expediam, ne grandis pagina surgat,
Quales [8] Tiberius Capreis mittebat ab [9] unctis.

4 Præco, *ille dicebatur, qui in auctione ad hastam consistens oblata pretia nunciabat. idem in concione elata voce vocabat populum ad suffragia.*

5 Ciniflones *dicuntur, qui calefactis in cinere calamistris, capillos evibrant.*

6 Rhonchus, *propriè sonus, quem edunt dormientes. per translationem pro irrisione.* majores nunquam rhonchi. Mart. l.1.

7 *Diogenes, laternâ hominem quærens in foro.*

8 *Respicit ad illud* Juven. Satyr.10. verbosa & grandis epistola venit à Capreis.

9 *Unctas dixit Capreas, quas Tiberius recessu suo à curis*

Clarus avis Juvenis, Latia novus hoſpes in Urbe,
Spectabat magnæ tacitus miracula Romæ.
Ingenui mores aderant; præconia formæ
Excipe quòd nimis ille ſitit, laudeſque [10] venuſtas.
Nec deformis erat: verùm omni ex parte beatum
Quandoquidem nihil eſt, [1] Venuſino judice; multa
[2] Occipiti cæco fruticabat [3] puſtula; ſeptem
Aſpera [4] planities [5] verrucis; creſcit acutis
[6] Bullatum caput [7] ampullis: Berecynthia mater
Vertice [8] turrito talis ſurgebat ab Ida.
Ægæi vertex referebat vaſta profundi
Æquora; disjectas [9] Cycladas tubercula credas.
Grande probrũ formæ! [10] morbo tamen ille medetur;
Ipſius atque augent formæ diſpendia formam.
Deglubit caput [1] arbuteum; peregrinaque frontem
Veſtit cæſaries, furtivis aurea cirris.

Urbanis omni genere deliciarum & turpi otio deformavit.

10 *Laudes propriæ venuſtatis, formæque elegantis.*

1 *Horatio, cujus eſt vulgata ſententia* l.2. Od.16. nihil eſt ab omni parte beatum.

2 Occiput, *poſterior eſt capitis pars. cæcum dixit, quia nemo oculos in illud poteſt conjicere.*

3 Puſtula. *turberculum in ſumma cute.*

4 *Suprema pars & exterior capitis.*

5 Verruca, *editior locus in Monte, cujus ſimilitudine tubercula in corpore eminentia ſine pruritu,* Verrucæ *appellantur. Italis* Natta.

6 *Tumidam puſtulis, ut aqua æſtuans bullis ſalit.*

7 *Inflatum tuberculis, tanquam ampullis. vas autem, ventre turgido, eſt ampulla.*

8 *De Turribus Berecynthiæ, vide* Saty.2.pag.36.

9 *Cyclades. Inſulæ, quibus diſſeminatum eſt Mare Ægeum. non ſecus, ait Poeta, Hoſpitis caput conſitum fuiſſe turberculis.*

10 *Vitio turpitudinis.*

1 Deglubere. *excoriare. Tiberii apud* Sueton. *dictum extat:*

Corpore sic fuerat quæ pars turpissima toto,
Protinus emicuit formosior omnibus una.
Scenica quid tegerent blandarum [2] aulæa comarum,
Arcanum ut [3] Cereris, cautus non prodidit ulli.
Nec satis hoc; negat ipse sibi. nam, judice vitro,
Vanus ubi explorat crines cervice fluentes,
Sæpius hæc secum. [4] Speculum si vera fatetur,
Vertice [5] folliculi teretes abiere relicto:
Forsitan & nunquam nostras coluere [6] novales
Improbulæ [7] lentes: [8] quid apertius? adjice, posset
Admota tentare manu cum turpia [9] monstra,
Scilicet improbulas, immania tubera, lentes.
Plaudit at ipse sibi, se judice; forte sed Urbis

Boni Pastoris est, tondere pecus, non deglubere. arbuteum caput *dixit, nempe fruticosum, & tuberculis, quasi pomis illis silvestribus, quæ sunt in arbuto arbore, consitum.*

2 *Comas intelligit suppositititas, quæ occultabant tubercula, ut sordes parietum teguntur ab Aulæis. Sunt autem* Aulæa, *versicoloris texturæ, & quasi picturata vela.*

3 *Cereri sacrificantibus nefas erat quidquam de ejusdem sacris proloqui.*

4 *Hospes Adolescens tam insano sui amore flagrabat, ut, cum caput suum videret in speculo ficta cæsarie ornatum, primùm quidem tubera evanuisse crederet; demum ne antea quidem eisdem se fuisse deformatum, sibi ipse persuadere contenderet.*

5 Folliculos *vocat hospes sua tubera, turpitudini minuendæ.* folliculus *est, quidquid in tumorem excrescit.* parvus follis.

6 Novale *est (inquit Plinius) quod alternis annis seritur. hic per translationem sumitur pro cranio.*

7 *Iterum Hospes* lentes *vocat immanes capitis verrucas, ut extenuet deforme vitium, & quidem sibi ipsi.*

8 *Quod crassius mendacium enunciare poterat? præsertim cum admota capiti manu, de numero & mole tuberum posset expressè cognoscere.*

9 *Verrucas capitis.*

Compita dum lustrat, curru Matrona superbo
Visa procul: teretes extemplo argutulus artus
Componit, pronæque parat cervicis honorem.
Fortè ubi constiterat, plaudentis dulce theatri
Delicium, populo propriæ ludibria formæ
Vendebat, nostri simulator Simius oris.
Ergo ubi cervicem nitidam miser hospes amico
Deprimit officio, generoso Simia saltu
Involat in crines, vulsosque à vertice, fronti
Inserit ipsa suæ, pexoque superbit in auro.
Heu miserum! nudæ patuere [10] emblemata calvæ,
Scilicet arcanum [1] Nili caput. ergo, reducto
[2] Sipario, pingui risit Matrona cachinno
Cum sociis: patriam furiatus at ille relictam
Devovet, & visæ graviora pericula Romæ.
I nunc, & croceo [3] Samueli vende Platona
Pulvereum; populet terebratum [4] blatta Cleanthem;

10 Emblemata, *dicuntur opera, ita tessellis, aut segmentis variata, ut effigies quasdam efficiant: cujusmodi sunt in pavimentis tessellata, in lignis segmentata, in parietibus vermiculata. Author metaphoricè utitur hac voce pro capite Hospitis pustulis illis, quasi emblematis, tessellato.*

1 *Nili caput, sive originem ignotam habebant veteres.* Luc. Pharſ. l. 10. arcanum natura caput non prodidit ulli. *Poeta intelligit caput Hosp itis, quòd Simia, detectâ cæsarie, revelaverat.*

2 *Siparium. propriè quo scena velatur. hìc pro velamentis curruum.* Bandinelle.

3 *Hebræi vilissima quæque Romæ coemunt. Samuelem institorem*, croceum *dixit, à colore veli, quo Hebræi Urbani tegunt galeros.*

4 Blatta. *vermiculus est vestes, & etiam libros rodens.* Martial. Constrictos nisi das mihi libellos, admittam tineas trucesque blattas.

Et tibi cum totâ liceat migrare [5] Stagirâ.
Antevolat doctas, bene si reputabis, Athenas,
Tam bene quæ [6] tectum nudavit Simia Verum.

5 *Cum totis Aristotelis Voluminibus.*
6 *Caput scilicet Hospitis tuberculis variatum, & male tectum crine fictitio.*





SATYRA VI.

Ad Ponticum in Americam solvere meditantem.

ARGUMENTUM.



Escriptio Navium onerariarum, ad fretum Gaditanum expeditionem Americanam expectantium. Divitiis sobriè honestèque uti decet. Opulentos præcipuè viros nunquam debere mortalitatis memoriam exuere. Fabula de Mercatore felem pro Equo ex America reportante. Diuturnæ navigationis pericula à mari, & Piratis. Longè majori cum gloria Majores nostros Cruce signatos expeditiones in Palęstinam suscepisse, quàm qui, lucri gratiâ, nostro ævo in Americam navigant.

NEmpe [1] iterũ Antipodes? labor est Tartessia [2] Cal- (pe

1 *Fingit Poeta, Ponticum ex Logico Mercatorem factum, mercibus commutandis in Americam cogitare.* Nempe iterum

Nempe suburbanus. jam solvere vela paratæ
Convenere rates: crebrescunt nautica latè
Jurgia; clamosæque volutant murmura [3] Gades.
Itur in [4] Herculeos fines. huc læta juventus
Angligenûm, excitique solo [5] stagnante Batavi,
Huc geminum [6] Francofurtum fluxere. Polonus
Institor alta petit: demens! cui [7] succina sordent,
Atque domi [8] Plutus. non fœdis [9] Scandia Danos
Saltibus, angusti claustris non detinet [10] Isthmi,
Oblitusve sui est Italus certamine tanto.

Antipodes! *ergone, Pontice, iterum in promptu sunt præmagna navigia oneraria ad solvendum in Americam? solent enim onerariæ naves ingenti numero singulis ferme annis in Americam tendere.*

2 *Calpe, Mons est, & ejusdem nominis Civitas in extrema Hispania, altera ex columnis Herculis, opposita Abylæ, qui mons est in Africa. vocat* Tartessiam, *quia sita est prope Tartessum, antiquum Oppidum Hispaniæ Bœticæ. Sensus est. singulis ferme annis in Americam vela faciunt naves onerariæ. familiariùs jam agimus cum Oceano; tanquam novum Orbem petere, esset agrum sive rus aliquod suburbanum adire.*

3 *Gades duæ Insulæ sunt Bœticæ Provinciæ, ubi Europa ab Africa dirimitur. in eo freto detinentur naves, quæ soluturæ sunt in Americam: ac proinde magnus ibi semper clamor, & strepitus turbæ nauticæ.*

4 *Quòd ibi Hercules, tanquam in extremis terræ finibus, Columnas geminas, navigantibus metas extulerit.*

5 *Hollandi, sive Batavi, alluviones maris colentes.*

6 *Geminum est bujus nominis Oppidum in Germania: alterum ad Mœnum, alterum ad Oderam.*

7 *Electrum, quod à Mari Baltico ejectum, ad Ostia Vistulæ amnis, Poloni colligunt,*

8 Plutus. *Latinè*, divitiæ.

9 *Scandia, Insula est Borealis supra Germaniam, quæ Suediam, Norvegiam, Gothiam, & alias regiones comprehendit.*

10 *Intelligit populos Cimbricæ Chersonesi, qui hodie Dani*

Illa [1] Cruces Ligures, [2] Ligurinas explicat illa
Puppis. in immensum quò deferor? undique [3] Vascõ,
[4] Cantaber,& Moravus, Scotusque,& Rhœtus,& Afer
Mercibus accurrunt mutandis, soliciti, ne
Carbasa præripiant pactum rivalia [5] naulum.

Tu quoque littoribus nostris divulsus abibis,
Pontice, commentariolis aucture Platonem,
Signat ubi vastam Timæus [6] Atlantida; quam nec
[7] Solinus, tardum Melæ nec vidit acumen;
Quam Strabo præteriit distorto lumine. Sed te
Quæ lactet spes tanta, Magellanici [8] Scylacæi

dicuntur. Isthmus propriè collum significat, à cujus similitudine terra oblonga & angusta, Isthmus dicitur. minimo discrimine distat à Chersoneso, quæ terræ tractus est, uno eoque tenui spatio junctus continenti. Poeta Isthmum dixit Cimbricam Chersonesum.

1 Cruces Ligures. *Insignia Navium Januensium.*

2 Cruces Ligurinas. *Insignia navium Etruscarum. à portu Ligurino, siv: Liburni, ad oram Tyrrheni maris, sub ditione Magni Ducis Etruriæ.* Livorno.

3 *Vascones. Aquitaniæ populi.*

4 *Cantabri, Hispaniæ Tarraconensis partem Asturibus finitimam colunt. Moravi, Scoti, Rhœti, Afri, noti sunt populi.*

5 Naulum. *pretium pro vectura.*

6 *Plato in Timæo meminit Atlantidis cujusdam Insulæ in Oceano: ex quo arguitur fuisse notitiam aliquam subobscuram Orbis Americani apud Veteres. sententia est. tu quoque, Pontice, in Americam solvis, illustraturus postea commentariis Timæum Platonis, ubi de Atlantide loquitur.*

7 *Solinus, Pomponius Mela, & Strabo, illustres sunt Geographi. quod autem dicit, Americam à Strabone distorto lumine fuisse præteritam, jocus est ab æquivocatione; nam* Strabones *etiam dicuntur qui distortos habent oculos.*

8 *Scylacæum Oppidum in ora Calabriæ, multis infame naufragiis.* Magellanicum Scylacæum, *intelligit fretum Magella-*

Ut freta solicites, & lustres [9] omega rerum,
Scire velim. Nescis, rerum dulcissime, nescis
Formicæ magnos per farrea [10] castra labores?
Nos etiam ingentes Libyæ populamur acervos
Grandes formicæ, & Gangis cumulamus [1] arenas.
Nunc vocat Hesperias montana [2] Peruvia puppes:
Ire juvat, natura jugo septemplice frustra
Aurum quà tegit, & ridendis cautibus obstat.
Dulcis [3] Aventini rursum sed vescier aurâ,
Si bonus annuerit [4] Castor, [5] distendere cellas
Est animus. solio nullus me celsior alto
Sederit [6] Arsacidûm. [7] Solido de Tibure ponam
Ædes [8] Flaminia in longa: [9] pomœria fundi
Laxent in [10] Volscis; [1] speculam inter nubila ducam,

nicum in America. ita dictum à Ferdinando Magellanico, rei nauticæ Duce peritissimo.

9 Omega rerum, *dixit orbem Americanum, sequutus vulgi opinionem, qui Antipodes extremos terræ populos judicant.* Omega *ultima est inter Græcas litteras.*

10 Farrea castra, *formicarum dixit subterranea foramina, quæ subvectis frumenti farrisque granis obstipant; idque summo præstant ordine, tanquam more castrorum.*

1 *Pecuniam, divitias, ut formicæ paleas & grana.*

2 *Peruvia, Regnum Americanum multis fœtum aurifodinis.*

3 *Aventinum Romæ collem, pro ipsa Roma posuit.*

4 *Propitium navigantibus sidus.*

5 *Lautiùs vivere.*

6 Arsacidę *dicti sunt Reges Persarum, ab Arsace hujus nominis Rege.*

7 *De marmore Tiburtino.*

8 *Via Urbana celeberrima.*

9 *Spatia, & mensuram agrorum, nam* pomœrium *locus erat tam intra, quam extra murum, ubi nullum erat ædificium. quasi postmurium, teste* Varrone.

10 *Volsci, populi in Latio, in quorum agro fundos habuisse*

Mite ubi Tyrrhenum, & tepidos bibit [2] Ostia Soles.
Præcipuè, saltu quà [3] Petronilla colurno
Despicit intonsas valles, & Tuscula Thempe,
Secessum Urbanis statuam pomaria curis,
Jucundosque [4] dolos undarum, aurasque canoras
In [5] tubulis. cornu mihi nec [6] Centaurus ab uno
Perstrepat, aut fidibus trudant breve carmen acutis

fingitur Ponticus.

1 *Celsam ædiculam, ad rusticandum aprico in loco, tempore hiemali.* Specula *à speculando dicta.*

2 *Ostia, Oppidum ad ostia Tiberina, unde Urbi nomen.*

3 *Innuit amenissimum locum, prope ædes Tusculanas Eremicolarum Sancti Romualdi. locum autem ab eventu vocat* Petronillam. *Poeta per ferias Autumnales adibat aliquando cum sociis montem Tusculi Veteris, ubi multa visuntur vestigia ædificiorum & Villarum, quas Romani summâ magnificentiâ struxerunt. progressus paulo supra Camaldulensium Patrum Eremitorium, è via deflexit in impeditissimum saltum. ibi vetula quædam, quæ montanum tuguriolum colebat, permeantium audito strepitu; redite, inquit, illac in viam, Patres; asperior vobis in processu erit hic saltus. Ad hæc è sociis quidam, ut fit, officii gratiâ, Habemus, inquit, gratias tibi, Domina* Petronilla. *Illudi se rata anus, paulo commotior clamabat identidem: Ego non sum* Petronilla. *Inde factum, ut cum subinde Patres illam ambulationem repeterent, non aliter se mutuo invitarent, quàm ut dicerent: Eamus ad* Petronillam. *Sententia autem Pontici est. construam etiam, ad imitationem Romanæ Nobilitatis, quæ Tusculi splendidissimè rusticatur, magnificas ædes cum viretis in saltu nunc corylis sylvestribus aspero, supra vetus Tusculum.*

4 *Lusus aquarum exilientium in viridariis.*

5 *Vento & aquis adstrictis, dulcissimæ modulationes eduntur è tubulis æneis in Villa Pamphilia Tusculana. eas lautitias superare constituit Ponticus.*

6 *Cujusmodi est Centaurus Villæ Pamphiliæ, qui vi aquarum contentissimum sonum edit.*

[7] Calliope, & sociæ; totam ventosus Apollo
Sed canat Iliada, & [8] cognatæ Epicedia Trojæ.
Profuerit super hæc, præceps declive senectæ
[9] Prospicere, atque procul miseris sucurrere canis.
Solis nempe senex [10] Acheruntius otia tuta
Possidet in [1] loculis. sese ne pascat hiantem
Spe macra quisquam: quamvis, si vera fatemur,
Difficile est dare verba sibi: licèt [2] Attica Pitho
Sessitet in labiis tibi semper; filius esto
[3] Nicomachi, vel cujus [4] apes sedere labellis;
Noveris Historias omnes, ut ponere possis
Annibalem, vel, si mavis, [5] Agramanta, trucemque
Marfisam, & quidquid pellax [6] Ferraria lusit;
[7] Pellicula exanguis si nullo tinniat ære,
Nec potes ex auro parvos monstrare [8] Philippos,

7 *Spectabile in primis est in Villa Pamphilia cubiculum, quod vocant* Musarum, *ubi Apollinis, & Musarum statuæ suavissimè modulantur, venti & aquarum impulsu. Ait autem Ponticus, non sibi satis fore unum, aut alterum modulatum Apollinis, & Musarum, sed præstiturum, ut Apollo sui viridarii totam concinat Homeri Iliadem.*

8 Cognatam *dixit Trojam Apollini; utpote quæ ab eodem, & Neptuno constructa est.* Epicedium, *carmen est emortuale.*

9 *Parare censum, viaticum senectuti.*

10 *Senes Acheruntios non semel vocat Plautus, quasi qui mox sint Acherontem fluvium adituri.*

1 *In crumena.*

2 *Dea, præses Eloquentiæ.* Suada.

3 *Esto alter Aristoteles, qui Nicomachi fuit filius.*

4 *Plato, ad cujus infantis os apes convolarunt.*

5 *Agramantes, Marfisa, nota apud Areostum nomina.*

6 *Ludovicus Areostus, Ferrariensis.*

7 *Crumena, quæ passim ex pelle conficitur.* exanguis, *sine pecunia, quæ secundus sanguis vulgò dicitur.*

8 *Monetæ genus, apud Italos satis cognitum.*

Con-

Contemnere. Supercilium quis, amicule, gratis
Nempe ferat tetricum, rugæque inamabilis annos?
Maturè hæc animo reputans non demoror illuc
Ire, fatigatas statuit quo littore proras
Audax [9] Christophorus, cum nos post terga reliquit.
[10] Hoc est, occiduos cur intestatus ad Indos
Per vetitum solvas mare? remigibus [1] Flessingæ
Hoc est quòd credas animam; quòd corpora viva
Dulce feras epulum sævis [2] Uronibus, hoc est?
O animas, Cæli dicam? [3] terrestrium inanes!
Prætereo, quod lautitiam hanc, fastumque fluentem
Votorum, ut rus exuperans, depascere justum est:
Nempe levem fucum, & tectoria parietis albi
Si demas rebus, quanta est insania, mutes
Ut vestem, [4] mutare diem? Secura rapinæ
Per me balet ovis [5] Phryxeia: non ego sanus
Vellus [6] Iasonium quæram, quem vestit honestè

9 *Christophorus Columbus, novi Orbis Inventor.*

10 *Poetæ responsio ad Ponticum.*

1 *Flessinga, Zelandorum emporium.* credas animam: *vitam credas Hollando navigio.*

2 *Vrones. Americæ populi, qui humanis vescuntur carnibus.*

3 *Auli Persii versus ille est.* O curvæ in terras animæ, & Cælestium inanes! *addit Poeta, proficiscentes in Indiam lucri gratiâ sæpe terrenorum etiam bonorum inscitè rationem inire. ut qui frequentibus naufragiis vitam amittant, nullis æquiparandam divitiis.*

4 *Ad Antipodas navigare. Cælum mutare, & mores.*

5 *Ovem aureum vellus habentem intelligit, cujus pellem Phryxus Jovi dicavit. Poetæ sensus est. ut splendidè vestiar, non ego Colchidem navigabo cum Argonautis, ut potiar vellere aureo, quo mihi lucentem vestem concinnem. Satis beatè mihi est cum inferioris notæ amiculo.*

6 *Jason, Dux eorum qui ad aureum vellus diripiendum pre-*

[7] Matilica. aurato nec si gradiare [8] Cupęo,
[9] Cristatus radiis, domito ut Pompejus [10] Iarba,
[1] Adducam frontem; quamvis [2] umbella corruscans
Te procul & longus famulorum monstret [3] elenchus:
Scilicet [4] unciola hæc quid prosit, & [5] offula fumi,
Deposcunt solidos si tædia nigra deunces,
Curæ [6] conquetubernales, obsonia rostro

fessi sunt Colchidem.

7 *Matilica, Urbs Piceni, ubi panni satis mediocres conficiuntur.*

8 Cupæum, *vox origine Gallica, ab Italis recepta. fit à verbo* couper, *quod est findere in duas partes. hinc* Coupè, *vehiculi genus, dimidiatum, & quasi dissectum, quatuor rotis insistens, undique occlusum peramplis specularibus, & duos tantùm commodè recipiens. Eam vocem, quòd novi inventi res esset, cum tua bona venia, delicate Lector, Poeta in Civitatem recepit, quo jure similia alii, & multò persanè licentiùs, admiserunt.*

9 *Intellige cirros flavi capillamenti.*

10 *Pompejus Jarbam Regem domuit, duxitque captivum.* Plutarchus.

1 *Ut faciunt, qui magnopere quippiam demirantur.*

2 *Magnatum currus præcedere solent Romæ anteambulones, cum umbella, æstui pluviæque arcendæ, si contigerit dominos de curru descendere.*

3 Elenchus. *index. accipitur hìc pro servorum, Magnatum currus stipantium, numero, & quasi catalogo.*

4 *De uncia, & deunce diximus* Saty. 2. pag.40.

5 Offam *dicimus quidquid in tumorem crescit.*

6 *Vocem* contubernales *in versum recipit, interpositâ particulâ conjunctivâ, quàm figuram Græci* Τμησιν, *Latini dissectionem vocant. habet autem præcipuè locum in vocibus compositis, qualis est* contubernium. *vox est castrensis, & significat certum numerum Militum degentium sub eodem papilione, & tabernâ. unde* tabernacula *etiam dicuntur.* contubernium, *quasi* contabernium.

Quæ pellunt ex ore, impacatoque sopori
Supponunt [7] alas, quamvis pulvillus ematur
Byssinus, & molles capiti substernat [8] olores.
Juverit & [9] natale lutum, testamque caducam
Respicere, imminuet minimo quam quilibet ictu
[10] Calculus; [1] Archytas nullus, nullâque refinget
Arte [2] Samos. Terras, ut collibet, & mare vertas;
Definit [3] huc tandem, si nescis, linea rerum;
Quam bene si duces, fueris mihi magnus [4] Apelles.
[5] Audio quid moneas. Isthæc communia, dicis,
Mittamus. etiam poteras illa addere: [6] Mergo,
Ne mergar. Nil sola pavet comes illa Biantis:
Et quidquid bona, Lucili, tibi [7] Corduba scripsit.

7 *Animi solicitudines feralibus assimilat avibus. ideo dicit illas capiti cubantis divitis alas supponere.*
8 *Plumas olorinas.*
9 *Fragilem nostri generis conditionem.*
10 Calculus. *lapis exiguus, qui molestiam exhibet calcantibus.*
1 *Insignis Machinarius, & Geometra Tarentinus.*
2 *Ubi figuli sunt peritissimi, ob ingentem argillæ vim, quâ abundat Insula. inde proverbiale dictum:* Vasa Samum ferre. *usus est in illos, qui ea aliquò deferunt, quorum inibi magna est copia. item dicimus.* Noctuas Athenas.
3 *Ad nostræ originis lutum.* linea rerum, *vitæ terminus.*
4 *Cujus lineam memorat Plinius summa subtilitate rectissimam.*
5 *Occupat Poeta, quod facilè objecturas erat Ponticus.*
6 *Cum Crates Thebanus, ut expeditiùs philosopharetur, opes suas jaceret in Mare, circumfertur addidisse ea verba:* Mergo vos, ne mergar à vobis. Comes sola Biantis. *Paupertas. Bias Prienæus nihil secum asportavit, ut alios videbat facere, à Patria incensa: qua causa cum passim, tanquam parum providus carperetur, respondebat,* Omnia bona mea mecum porto.
7 *Seneca Cordubensis, cujus extant ad Lucilium Epistolæ moratissimæ.*

Ergo rem lepidam, missis gravioribus, audi.
[8] Dux Ligur [9] ad Moxos postquã penetravit Iberâ
In trabe, [10] dimidium felix ostendere rerum,
Continuò Europam pervasit fama per omnem,
Inventos auri Montes, ditissima Regna:
Felices ubi sapphiros [1] cynosque coloni
Proculcant, ut nos paleas floccosque minutos:
Chrysolitis amnes fluere incendique; beatos
Tum scopulos latè exalbescere margaritis.
Ergo inhiant gazis, affulgentique labores,
Vitam animamque vovent lucro, quicumq; per æquor,
Ut mutent patrias alio sub sidere merces,
Vel Cypriâ se collaqueant vel [2] Atlantide tædâ.
Apportant tenues phialas, pictasque tabellas,
Frigore duratasque nives, & eburnea signa.
Navigiis onerant villosum textile, [3] rallum
Velamen capitis, lanæ vulgaris amictus,
Et quidquid Gabium, vel Tuscum tingit ahenum.
Calceolos alii, [4] corii segmenta, cothurnos,
Cingula cum [5] strophiis, soccos, femoralia, vittas,
Argutosque vehunt petasos plumatile cristâ.
Verùm callidior quidam, maria alta petenti
Mercurius cui dexter erat, dum plurima versat,
Quæ rudibus populis ferret gratissima, demum

8 *Christophorus Columbus Savonensis.*
9 *Moxi. Americæ populi.*
10 *Dimidium rerum dixit, novum Orbem.*
1 *Cyanus. gemma est cærulei coloris.*
2 Tæda *arbor est, ex earum genere, quæ resinam ferunt. navibus conficiendis idonea. pro navi hîc sumitur.*
3 Rallum. *diminutivum à voce* rarum Nonius.
4 *Pars inferior calceorum.*
5 *Strophium pectoralis fascia.*

Conſtituit felem maculoſa pelle decoram
Ducere. Spectatum rem miram admiſſa juventus
Exiguam putat eſſe tigrem, quibus illa redundat
Ora feris, celerique fugit conterrita curſu.
Sed poſtquam facilemque capi, ſaltuſque ciere
Ad Domini nutum cernunt jculariter, omnes
Circumſtare virum ſtudiis certantibus: aurum,
Et vim gemmarum ingentem pro fele paciſci.
Ergo, beſtiolæ pretium unguipotentis, acervos
Ille [6] Midæ in patriam, Pelopiſque talenta reportat.
Perbibit, ędificat, jentat: ſpectacula, ludos,
Aucupium celebrat, choreas, triclinia; vitam
Et [7] pollucibilem fomenta per omnia ducit.
Rivalem ſocium, ceu fit plerumque, ſodalis
Sors pupugit, ſtimulis atque incędebat amaris.
Ipſe ſed exacuit mentem livorque dolorque;
Et ſecum hæc tacitus volvit. ſi parvula felis,
Ducta pharetratos, ſocium ditavit, ad Indos,
Quæ merces illum, quæ præmia digna ſequentur;
Qui bellatorem, celſa & cervice comantem
Ducat equum? nec plura. levem ſimul inſtruit alnum
Remigio, & [8] Caribum occiduis exponit in oris
Quadrupedem ingentem. Teretes effuſa per armos,
Pendula cæſaries cum luderet, auribus acrem
Hinnitum arrectis cum redderet, oraque nimbo

6 *Mydas, Phrygiæ Rex ditiſſimus, cujus manu tacta omnia aurum fiebant.*

7 Pollucibilis. *ſplendidus, lautus. à veteri verbo,* polluceo, *quod ſignificat, libamenta, quæ erant opipara, ad Herculis aram porrigere.* Plaut. Moſt. paſcite paraſitos, obſonate pollucibiliter.

8 *Caribes. populi Americani.*

Proluеret frenosque graves argenteus humor;
Nobile miratur portentum barbara turba.
Forte repercussas cautes dum verberat ungue,
Excussit nitidas ferrato calce favillas.
Obstupuere novos erumpere pulsibus ignes,
Et formidatas incendia gignere plantas.
Verùm ubi quadrupedem adstrictis cōscendit habenis,
Et celsa mercator eques se mole ferebat;
Diriguere omnes. qua temperet arte frementem;
Sublatumque caput, spumantiaque ora gubernet,
Exquirunt taciti. vulgi sed pectora postquam
Vidit eques novitate capi, se protinus omni
Cum cœtu ad Regis sublimes corripit ædes.
Et nutu (populis tum primùm namque repertis
Usus erat vocis nullus) mirabile donum,
Quadrupedem Regi spumantem consecrat ultro.
Munera magna domi sed mox, auroque refertos
Expectat saccos, & divæ Sacra [9] Monetæ.
Interea cum seductis [10] primoribus aulæ
Rex agitat, pretiosa viro quæ dona rependat.
Candentes, quos clausa ferunt conchylia, [1] partus
Proponunt alii, cistas & divitis auri.
Sunt qui Mexiacæ glandis gratissima liba,
Donaque [2] odorati fruticis, virgasque fragrantes

9 Monetam *hic pro pecunia posuit; ita dictam, quod signi impressione de pretio nos moneat.* Moneta *etiam unum est ex nominibus Junonis, cujus Poeta meminit* Satyr. 3. pag.72.

10 Primores *dixit nomine substantivo* Liv. 1. ipse ad primores Romulus provolat. Horat. Serm. 2. Satyr. 1. Primores populi arripuit.

1 *Uniones.*

2 *Cinnamomum Mexicanum.* Guainiglia.

Exhibeant. alii demum portenta ferarum
Reddere contendunt, vultus cantusque volucrum
Barbaricos: cupido quæ sordent omnia Regi.
Nil unquam, dixit, referemus munere tanto
Condignum, nostro nisi quod memorabile Regno,
Conspicuum & magis est donatum deferat Hospes.
Rem longo secum proceres examine postquam
Contulerunt, vox una fuit, nil clarius esse
Fele peregrina: at durum, nec forte ferendum,
Occiduas tanto viduari lumine terras.
Nil refert, firma clamabat voce Tyrannus,
Magnanimum Europæ populis ostendere pectus
Munificasque manus tanti est. ergo ordine missi
Centum Oratores, qui splendida munera ferrent
Felem infelicem, spumosa per æquora rursus
Visuram patrias sedes, natosque relictos.
Devenere lares, ubi subsultantia corda
Hospitis haurit amor lucri, miserumque coquebat
Magnarum spes dulcis opum, fortisque futuræ.
Mercedis summam sed postquam comperit omnem
Fele macra exolvi, rabie fixusque dolore
Deridenda procul rejectat dona. Sed illi
Blanda recusantum officia, & luctamina prima
Esse putant (obstat nam multùm dissona lingua
[3] Ut memini, nutus & pondera vocis habebant)
Acriùs ergo instant illi; nec segniùs iste
Objectuque manus, aversa & fronte repugnat.
Irrisum sese queritur, periisse labores
Tot maris; & voces in ventos [4] perdit inanes.
Ingenuos illi mores, laudantque pudorem.

3 Vide supra. pag. 182.
4 *Non intellectas scilicet.*

Plurima dumque iterum,quo munera ſumeret,addunt
Nequidquam, demum diſcedunt [5] fele relictâ:
Ad Regem redeunt. penitus vidiſſe modeſtum
Se jurant hominem. Irati qui Numina ponti
Devovet interea frendens, ventoſque ſiniſtros.
Sic felem pro quadrupedis mercede, paternas
Præmia digna ſui retulit livoris ad ædes.
[6] Ὁμῦθος δηλοῖ non eſt quòd protinus addam
Hic tibi, fabellas concludit ſervulus ut [7] Phryx,
Nobilior Crœſo. noſcis tute ipſe quid iſthæc
Fabula ſignificet. nitidis pingueſcere glebis
[8] Antipodum dum ſæpe flagrant, patrimonia multi,
Sementem veluti jactam, vetereſque parentum
Perdiderunt cenſus. Statuant ſed, Pontice, de te
Dii melius. [9] ſcalmos,tabulata, [10] ſtatumina,& omnes
Navigii coſtas Pervanæ rupis arenis
Exatura; prædam [1] Pagaſeæ vince carinæ,
Colchica Phaſiacas quæ vexit furta per undas.

5 *Relictâ apud mercatorem in domum, cujus indignationem veram ipſi, ex geſtu, pudorem officioſum interpretabantur.*

6 Fabula ſignificat. *Verba ſunt initialia ad Æſopi affabulationes, poſt fabellas expoſitas.*

7 *Æſopus, fabulator genere Phryx, conditione ſervus, qui Crœſi Lydorum Regis tempore floruit.*

8 Glebis Antipodum. *auro Americano.*

9 Scalmus, *lignum eſt feneſtratum, remum excipiens, ut idem faciliùs impellatur.Hinc dicitur apud* Tullium 1. de Orator. navicula duorum Scalmorum, *ideſt duos remos agens.*

10 Statumina, Cæſar *dixit, erecta in interiore alvo navis ligna, quibus ejuſdem latera firmantur.*

1 *Argo, prima navis, quæ fabricata apud Pagaſam, Theſſaliæ Urbem, à Colchide, Ponti regione, aureum vellus duxit per mare Phaſiacum; ita dictum à Phaſide fluvio, & ejuſdem nominis Urbe Colchorum.*

Cautio quæ tam certa tibi, quæ [2] Syngrapha tutos
In patriam spondet reditus, & dicere posse,
[3] *Italiam Italiam*? gelidi pater Æolus antri
Annuit utriculo [4] clausos tibi tollere ventos;
Obstrictis aliis, possis dimittere solas
Ut [5] Zephyri algifico consperfas nectare pennas?
Non semel exitium præsens [6] oraria cymba
Si subit, audebit sibi quid promittere tutum,
Qui, rudis Oceani, patrio de littore funem,
Dissociata [7] Cubæ visurus regna, revellit?
Non est exiguo Tiberim transmittere lembo,
A serâ ad Latium procurrere littus [8] Havanâ.
Quàm subitâ rigeant glacie tibi pectora, quanto
Albidus ora metu tinges, de puppe Magister
Si clamet: [9] Maculis æther ignescit ab ortu

2 Syngrapha *(quæ & syngraphus, & syngraphum) propriè* conscriptio. *passim pro tabellis accipitur, ubi cautio, sive pactiones, paciscentium manu conscriptæ sunt*. Plaut. Asin. ostende, quem conscripsi, syngraphum, inter me, & amicum, & lenam.

3 *Supple:* prospicio, detego, *aut quid simile. innuit Virgilianum illud* Æneid. 3. Italiam primus conclamat Achates.

4 *Tangit clausos utribus Ventos, ab Æolo Ulyssi traditos. Vide* Homeri Odyss.

5 *Qui ventus, utpote ex Occidente spirans, ex America in Italiam remigrantibus est propitius.*

6 Navis oraria. *parva navis, quâ oram littoris legimus. dicitur etiam* Actuaria, & Actuariolum, *ab acta, ut oram littoralem Veteres dicebant.*

7 Cuba. *Insula Americæ Septentrionalis, in sinu Mexicano.*

8 Havana. *Oppidum præmunitum, cum portu capacissimo in Insula Cuba. celeberrima statio Classium Hispanicarum.*

9 *Navarchus loquitur, imminentem tempestatem denuncians.*

Nubilus, in montes attollet [10] Circius undas.
Occidimus. curvare sinus, adducere funes
Continuò nautæ, totis discurrere transtris.
Verùm ubi multifidi (miserandum & triste!) profundi
Horrescit facies, nec opis datur ulla potestas;
Turba preces iterat, pelagi pallentibus undis
Concolor; &, superat quod solùm rebus in arctis,
Quas avidè modò quęsierat, nunc fluctibus atris
Mergit opes: multa aurifluo natat India ponto.
Tu quoque, latrantis pelagi de faucibus ægram
Ut redimas animam, populatæ scrinia [1] Limæ,
[2] Lamellas plorans, & [3] iniquo pondere virgas
Projicis. Usqueadeone decor, pretiumque metalli
Fulgentis tibi viluerit? demergere saltem
[4] Hanc parcas arcam, tibi quæ plus mille ducentos
[5] Concamerata tegit. non te piget omnia demum
Perdere, & Indorum spoliis ditare [6] siluros?
Oceani ingluviem si tot saturare paramus
Divitis exuviis gazæ; non [7] carpio tantum,

10 Circius, *Catoni* Cercius. *ventus summâ violentiâ*. Circius *appellatur, quòd mare, & naves circumagat turbine & vertigine. alii aliò trahunt. Vide* Vossium.

1 Lima. *Civitas, Peruviæ caput. emporium celebre*.

2 *Diminutivum à* lamina. *rudibus laminis & virgis infectum aurum ex America in Europam advehitur*.

3 *Gravi pondere. ut apud* Virg. Georg. 1. & iniquo pondere rastri.

4 *Manu gestuque designat arcam, quam Ponticus in mare devolvit auro refertam*.

5 Arca concamerata. *Italis*, Baule.

6 *Piscis genus, quem alii acipenserem vocant*. Sturione.

7 *Piscis, lacui Benaco peculiaris, qui aureis arenis victitare dicitur. ab auro carpendo dictus.* Martinio, & Hadr. Jun. in Nomenclat. *idem est, quod* Cyprinus: *secus judicat* Cerda.

Sed [8] salmo auriferis, passerque, & congrus arenis
Depasci poterunt; solùm te laude nec illâ
Posteriùs, [9] Benace, feres. Incommoda, dices,
Omina sed tollas. quid tu mihi [10], corve, sinistro
Infortunatum deducis gutture carmen?
Ergo favens læto tibi rideat igne [1] Cytheris,
Raraque quos Cælo sacrat concordia [2] Fratres.
Fac tua morigeræ vereantur lina procellæ;
Inter & [3] Halcyonum cantus, [4] conchasque sonantes
Tritonum, turres [5] Abylæ, [6] metasque revise
Amphitryoniadæ magni. mox prælege campos,
[7] Bætis olivifero virides quos lambit amictu.

cæterum optimę notæ carpiones apud Soram etiam capi in amne Fibreno, non est dubitandum.

8 Salmo, Passer, Congrus. *pisces marini.*

9 Benacus, *lacus agri Veronensis.*

10 Corvus. *avis inauspicatæ garrulitatis. Mortem Alexandro Babylonem ingressuro, Ciceroni impendens periculum ab insidiis Antonianis, ingrato strepitu garrituque prænunciasse legitur.*

1 *Sidus Veneris, quæ præcipuos honores invenit in Cythera, Insula ad oram Peloponnesi.* Cerigo. *Poeta hæc loquitur.*

2 *Sidus Geminorum, Castoris & Pollucis, nautis propitium.*

3 Halcyon, *aliis* Alcedo, *avis est maritima, quâ brumali tempore ova excludente, mira est maris tranquillitas. hinc* Alcedonia, *sive* Alcyonis dies.

4 Tritones, *Dii sunt marini, qui tubæ similes sonos edunt in mari. eorum tuba* concha *dicitur, quod testâ firmiore, & in spiram retortâ, pro tuba utantur.*

5 Abyla, *mons & Urbs Mauritaniæ Tingitanæ, contra Calpen in Hispania.*

6 *Fretum Gaditanum. Columnas Herculeas; Metas navigantibus ab Hercule positas.*

7 *Fluvius ulterioris Hispaniæ, de quo* Martial. Bætis oli-

Jam nemora [8] Illiberis, felicibus aurea ſilvis,
Jamque olidis effoſſa vides Balearica Regna
[9] Cuniculis. Latios (nullus pudor obſtitit?) enſes
In pavidas certaſſe feras? pugnacibus ut cum
[10] Antiochis, domitique inter monumenta [1] Syphacis,
Roma recenſeret leporini nomina belli?
Poſtremò curſum acceleres, ubi mitior æther,
Molliter & noſtrum vernat mare. Si tamen omnes
Evaſiſſe putas caſus, male conjicis. Audi,
Audi quid moneat malo [2] ſpeculator ab alto.
[3] Se geminæ naves extremi à finibus Auſtri
Paulatim attollunt [4]. majori mole ſequuntur
Has totidem à tergo. nondum ſe [5] teſſera profert.

viſcera crinem redimite corona.

8 Illiberis *alia eſt hujus nominis Civitas in Gallia Narbonenſi*, Colliovre; *alia erat in Hiſpania Bœtica, aliis Eliberis*, Eluire, *Eliberitano Concilio celebris: ſed ea Civitas hodie exciſa eſt; eidem ſucceſſit* Granata, *quæ nova Illiberis dici poteſt. hanc, & Granatenſem oram Poeta intelligit; ubi ingens copia malorum aureorum.*

9 Quanta vis cuniculorum occupaverit Inſulas Baleares, Majorica, Minorica, Plin.l.9.c.55. *docet his verbis* Certum eſt, Balearicos adverſus proventum eorum (*cuniculorum*) auxilium militare à Divo Auguſto petiiſſe.

10 *Antiochus, Syriç Rex, quem vicit M. Acilius Glabrio.*

1 *Syphax, Numidiæ Rex, cum violata fide, Annibali adhæſiſſet, à Scipione in triumpho Romam adductus, pædore carceris, & inediâ vitam clauſit.*

2 *Qui è turba nautica, explorandi gratiâ mali faſtigium conſcendit.*

3 *Moram aliquam hìc, Lector, interpone: nec accipias iſthęc, quaſi continenti oratione à ſpeculatore nunciari; ſed ſpatio, quod oportet, adhibito, ad dignoſcendum, & nunciandum.*

4 *Iterum aliquantulum temporis interpone.*

5 *Vexilli nautici Symbolum, & Inſigne, ex quo, quarum ſint*

Non illis divellam oculos, vexilla priusquam
Fixa recognoscam turritis puppibus. [6] Hei! hei!
Prospicio intextas, inimica Insignia, Lunas.
Adsunt [7] prædones Uticæ; Tunisæa propinquat
Haud dubiè classis, centum populata carinas.
[9] Ruscurri, Numidasque manus, pestemque profundi
Ah fugite, ò Socii: remis insistite; terris,
Quæ primùm se cumque ferunt, advertite proras.
Barbarus has merces, Mauras non insuper oras
Asportet? durum! nigris freta cæca lacertis
Interea pulsant, optataque pabula nacti,
Hortantur lætis sese clamoribus hostes.
Jam trepidos prædatrices hinc inde triremes
Circumstant; jactis jamque [10] harpagonibus instant.
Ceditur. adstrictum duris te colla catenis
[1] Myoparo Tunetum rapit. occursantibus illic
Primùm ludibrium pueris, debesque puellis.

gentium naves, dignoscit speculator.

6 *Piratarum ex Africa naves; quarum vexillis, Maometanorum Insignia, Lunæ emicant.*

7 *Utica, Urbs in Tunetano Africæ Regno satis ampla, Catonis, inde Uticensis dicti, morte insignis: hodie piraticâ infamis. vix dubium est eam esse, quæ hodie dicitur* Biserta.

8 Tunetum, *aliis* Tunes, *Urbs Africæ cum arce, & portu amplo, Regni Tunetani caput. piratarum celebre receptaculum.*

9 Ruscurrum, *Ptolemæo* Rhusocorra. *Civitas in Africa cum capaci portu, & arce munita. bodie piratarum hospitium, & munimentum. Ea esse creditur, quam Itali vocant,* Algieri. *Vide* Sanson.

10 Harpagones, *instrumenta sunt ferrea, & adunca, ad naves apprehendendas in prælio.*

1 Myparo. *navis piratica.*

[2] Dicite, Io, [3] Macon, & Io, ter dicite, Macon:
Incidit in casses Oneraria fœta metallis
Mexiacis.[4] Melitam infestam, cladesque receptas
His equidem lautè liceat sarcire rapinis.
Possideant illi [5] Chilam, pelagique labores
Sustineant; nobis meliùs sic India servit.
Hunc lætum ludisque diem patriisque choreis
Concelebrare juvet. Simul incipit impigra saltu
[6] Pyrrhica barbarico gaudens. nunc lucida tela
In sublime ferunt; variis modò nexa figuris
Dum flectunt, pulsant alterno ter pede terram.
Amotis demum clypeos gladiosque sagittis
Expediunt; feriunt dociles, ceduntque vicissim;
Compositos ictus, meditataque vulnera torquent.
Gratior est, placidis horroribus aspera ludus
Prælia dum simulat: nova fit pavor ipse voluptas;
Otia & ipsa placent solâ sub imagine pugnæ.
Tu modò Marmaricis quid ages captivus arenis,
[7] Cannabino indutus sacco, rasusque capillos,
Lactea terga notis ferri candentis [8] inustus,

2 *Puerorum, & puellarum ex Africa chorus, & populus ipse Africanus ad loquendum inducitur.*

3 Macon, *Turcarum Vates, alio nomine Mahometes.*

4 *Classem Equitum Melitensium, quorum frequentes victoriæ de piraticis Africanorum navibus celebrantur.*

5 Chila, *Provincia Americæ meridionalis, Peruviæ proxima.*

6 Pyrrhica, *Italis* Moresca. *genus est saltationis inter armatos, & jacula vibrantes. hujus originem alii ad Lacedæmonios, alii ad Cretenses referunt. Aristoteles Author est, Pyrrhum Achillis filium primum omnium Pyrrhicam saltasse ad Patrocli rogum: atque inde Pyrrhicæ nomen fluxisse.*

7 *Ut agi solet cum vilissimis mancipiis.*

8 *Stigmate inustus aliisque dehonestamentis, & infamiæ si-*

Immanisque trahens pondus servile catenæ?
Magnanimi fortem gladium, fatumque [9] Catonis,
Atque Uticam veterem nimirum mente revolves.
An potius dejecta tibi [10] Carthago levabit
Præsentes casus, magnique extorris [1] Alumni
[2] Servitium, incertique Lares, [3] gemmante cicuta
Tantorum demumque quies properata laborum?
Atque equidem durasque vices, ferrique sonantis
Laudarem laqueos, si te non vanus honorum
Ambitus, effossique sitis culpabilis auri,
Barbarica sed captivum regione teneret
[4] Relligionis amor. Vos, venæ ævique prioris

gnis deformatus. Suet. in Calig. multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit.

9 *Qui Uticæ, ubi tu deges captivus, post Pharsalicam pugnam, sibi mortem conscivit.*

10 *Cujus ruinæ, non ita procul ab Utica, in Africæ ora visuntur.*

1 *Annibalis Carthaginiensis.*

2 *Apud Brusiam Bithyniæ Regem.*

3 *Hausto veneno, annulari gemma incluso.*

4 *Quo Religionis amore permoti in Asiam, & Palæstinam ad Saracenos depellendos navigarunt fortissimi Christianorum, de quibus infra loquitur. Adverte autem, Lector, eos solùm hic, sub Pontici persona, à Poeta sugillari, qui immodica lucri cupiditate, & avaritiæ gratiâ, in Americam tendunt. Nam ab omni studio Religionis alienos eos esse oportet, qui non impensè suspiciant, atque commendent consilium, laboresque illuc proficiscentium, ut rudes gentes barbarasque nostris imbuant Sacris, earumque sempiternæ saluti prospiciant. Hic certe Romanæ Fidei proferendæ ardor pervicit demum, ut Catholici Hispaniarum Reges & detegendas curarent Americanas Provincias, & retinerent.*

Felices animas! [5] Solymæ queis mœnibus altis
Carceris aut tetri [6] pædorem ferre, famemque
Contigit, [7] assertis aut vitam fundere campis.
Tu verò ante alios felix, decus addite Cælo,
Gloria Francigenûm, [8] Ludovice; ultricibus armis
Ingressum Pelusiaci quem Regna Canopi
Non gravis infidi domuit [9] custodia Nili.
Nec, dum Marmaricis præfigit victor arenis
Excelsæ vexilla Crucis, virtutis egentem
Tabida præcipiti merserunt funera letho. [10]
Tempus erat, rupes cum non Europa [1] Guianæ,
Occidui solis meliùsque [2] latentia Regna,
Sed querulas servi peteret Jordanis arenas,
[3] Carmelique apices, indefletæque Sionis
Mœnia. [4] tunc vero tellus reptata Tonanti,
Rorantes & adhuc divino sanguine cautes

5 *Hierosolymę, quæ nobilissima est Palæstinæ Civitas, & in aliis Asiæ Regnis.*

6 *Sordes, illuviem.*

7 *Vindicatis in libertatem.*

8 *S. Ludovicus IX. Galliæ Rex.*

9 *Carcer Ægyptius, cujus incommoda S. Ludovicus, accępta à Saracenis clade ad Tamiatin* (Damiata) *fortissimè sustinuit.*

10 *S. Ludovicus, expugnata Carthagine, mirisque tum Christianæ pietatis, tum gloriæ militaris relictis apud Barbaros monumentis, dum Tunetanæ obsidioni insistit, exortâ per Africæ Urbes lue correptus, sanctissimè obiit.*

1 Guiana, *Provincia Americæ meridionalis.*

2 *Minore nostræ avaritiæ probro.*

3 *Carmelus, mons in ora Palæstinæ.* Sion, *apud veterès Moria dictus, mons Judææ notissimus, apud Hierusalem. pro Hierosolyma, ipsoque Hebræorum populo à sacris paginis frequenter usurpatur.*

4 *Innuit quam sibi Cretenses ascifcunt laudem apud se nati*

5 Con-

[5] Conrados, [6] Carolos, [7] Fridericos, fida vocabant
Pectora Christiadûm Heroum. [8] Villelmus ab oris
Excitus Batavis, & [9] Veromanduus Hugo,
Et mox [10] Guidones Cypro, mox jura daturi,
Terra, tibi fortes, Solymeia, [1] Balduvini,
Fraudibus obseptum per iter, per tela, per hostes,
Asperaque ignoti per mille pericula ponti,
Arva Palæstinæ, desertaque littora quærunt,
Et jam desuetam palmis frondescere [2] Idumen.
Otia non ego te mollis, [3] Boemunde, Tarenti
Indignantem ultro; non te [4] Leopolde, Gradivi

Jovis. Senec. in Herc. Oet. Fleat Alciden cærula Crete, magno tellus clara Tonante.

5 *Conradus III. Imperator, Crucesignatus, Palæstino bello, ac præcipuè editâ ad Damascum pugnâ clarissimus.*

6 *Carolus, Comes Andium, S. Ludovici Frater.*

7 *Fridericus Imperator, Crucesignatus, Bello Sacro, ac præsertim iterato ad Iconium prælio illustris.*

8 *Plures hoc nomine Christiani Principes Bello sacro nomen dederunt. Poeta meminit Caroli Hollandiæ Comitis, Classis Crucesignatorum Præfecti.*

9 *Etiam hoc nomine non pauci sacras expeditiones sunt amplexi. comemorat Poeta Hugonem, cognomento Magnum, cujus præcipua fuit laus memorabili ad Antiochiam prælio.*

10 *Guido Lusinianus, Cypri Regnum obtinuit.*

1 *Balduinus, Gothefridi Bullionæi frater, ex Principe Edessæ Hierosolymorum Rex renuunciatus, tres eodem nomine Regni successores habuit.* Balduvini *dixit cum* u *gemina, carminis gratiâ.*

2 *Idume, Mons inter Judæam & Arabiam; unde regio Idumæa.* Lucanus 3. palmarum dives Idume.

3 *Boemundus, Princeps Tarentinus, Antiochiæ expugnator.*

4 *Leopoldus, Dux Austriæ, cujus in obsidione Ptolemaidos mirum in modum virtus enituit.*

Prætercam ſacri fulmen, fortemque [5] Robertum,
Magnanimũque [6] Toloſatem,geminoſq; [7] Philippos,
[8] Riccardũ, [9] Henricos, te primùm, [10] Dandole, vidit
Quo Byzantinas everti Thracia turres,
[1] Boſphorus & latè captis immugiit undis.
Non demum indictum Syrii te gloria Martis,
Conſilio dextraque potens, gentiſque ſuperbæ
Everſor, [2] Gothefride, feram, quem nobilis ira,
Et veræ primum ſuccendit adorea laudis.
Vindice quo duros laqueos [3] captiva Sionis
Filia diſſolvens, tot jam labentibus annis,

5 *Robertus, Dux Normanniæ ad Antiochiam, & iterum ad Orontem amnem ſtrenuè certavit; in expugnandis Hieroſolymis momenti plurimum attulit, inter candidatos Hieroſolymitani Regni propoſitus, ut Gothefridus Bullionæus Rex ſalutaretur, præcipuus Author fuit.*

6 *Raimundus Comes Toloſanus, unus ex candidatis Regni Hieroſolymitani.*

7 *Gemini, Philippi nomine, Galliæ Reges, alter* Auguſti, *alter* Audacis *cognomento, ſumma in Bello ſacro tum fortitudine, tum pietate.*

8 *Riccardus, primus hujus nominis Angliæ Rex, de Bello ſacro præclarè meritus, expugnata præſertim Joppe,* Jaffa.

9 *Henrici nomine plures Proceres Cruceſignatos numerat Bellum ſacrum: inter alios, Campaniæ Comitem, Ducem Limburgi, Luſinianum, Saxonicum.*

10 *Henricus Dandolus, Venetæ Reipublicæ Dux, bello Conſtantinopolitano clariſſimus.*

1 Boſphorus Thracius; *anguſtæ maris fauces juxta Byzantium.*

2 *Gothefridus Bullionæus, in Bello Palæſtino ſupremus Armorum Præfectus Hieroſolymam ſumma ſtrenuitate, ſingulari prudentia obſedit, pari felicitate expugnavit.*

3 *Innuit illud* Iſai. c. 52. Solve vincula colli tui captiva Filia Sion.

Numinis hospitium, felicia Regna, jugoque
Exemptam indigno splendescere gestiit Urbem,
Innumerasque animas infido ex hoste recepit.
Nō ego sum [4] Minos,[5] Phrygius nec, Pōtice, Judex:
Verùm, ni [6] trutinæ modus, & ratio simul omnis
Me fugit, hoc solùm est opibus ditescere veris:
Hoc est per mare fluctivagum perquirere merces,
Quas neque diripiat medio Tunetana [7] triremis
Ionio, pelagi nec monstra natantia perdant,
Imbrifer adverso vel flamine [8] Subsolanus.
Æquius hanc liceat tibi rem sed pendere mecum.
Postquam res Asiæ, & [9] Saladini evertere Regnum
Cælicolûm Regi placuit; Gothefridia signa
Quum clivo cui nuda dedit [10] calvaria nomen,
Fixa dedere jubar; quod tu pretiumque decusque
Esse putas montis, cujus divina pependit
Vertice Progenies? si me sapientior audis,
Ille mihi Peruanus apex, ditissimus unus

4 *Minos, Cretensium Legislator, & Rex. præstantis sapientiæ opinione promeruit, ut supremus Judex apud Inferos constitueretur.*

5 *Paris, Priami Filius, qui tanta fuit judicii æquitate, ut illum de prærogativa pulchritudinis certantes Deæ Judicem fecerint.*

6 Trutina. *Statera. propriè foramen, intra quod est lingula bilancis.*

7 *Vide supra*, pag. 189.

8 Subsolanus, *ventus est vehemens ab ortu; ita dictus quia sub ortum solis ferme nascitur. Græci vocant* Apelioten.

9 *Saladinus, è stirpe Præfectorum Ægypti, primùm quidem Ægypti Regnum, mox etiam Hierosolymitanum occupavit.*

10 Calvaria, & calvarium *dicitur totum caput carne, & pelle spoliatum.*

Ille mihi, qualem non jactat Mexica tellus,
Nec quidquid nostro [1] Cortesius addidit Orbi,
Aut siquis Brasilos adiit felicior illo
Hispanæ vel [2] Lusiacæ [3] proreta carinæ.
Jam vero [4] Rhodanique manus, & flava juventus
Flandrigenûm, læta cum primùm voce salutat
Jordanem, Sobolem æthercam quo flumine lavit
[5] Zaccharides; fluvio æquandum lymphisque beatis
Tune putas amnem, [6] misto qui nomina duxit
Argento, [7] Adriacum vel qui superare profundum
Fertur, Amazoniis titulis & prænitet amnis?
Demùm, quæ sacri meta optatissima belli,
Gotthfridus cum vota pius persolvit ad [8] Urnam
Hostibus ereptam crudelibus, Illa Tonantis
Splendida deposito, lacrimisque aspersa suorum,
Atque tuis primùm, fidissima Magdalis, illa
Saxa, quid esse putas? hæc est [9] Auraria, totis

1 *Ferdinandus Cortesius Regnum Mexicanum, & quod novam Hispaniam vocant, detexit.*

2 *Lusitanæ. à Luso Bacchi comite dictam ferunt Lusitaniam.*

3 Proreta *dicitur, qui proræ præest, Gubernator, qui puppi*. Plaut. in Rud. Si tu proreta isti navi es, ego Gubernator ero.

4 *Milites Gallici.*

5 *S. Joannes Baptista, Zaccbariæ filius.*

6 Argenteus, *fluvius Americæ Meridionalis; Hispanis*, Rio de la Plata.

7 Amazonum Fluvius, *in America Meridionali: mare Adriaticum æquare dicitur latitudine. Hispanis*, Rio de las Amazonas.

8 *Ad vindicatum, assertumque à Barbaris Sepulchrum Christi Domini.*

9 Auraria, *aurifodina*. Tacit. l. 3. Tiberius aurarias sibimet sepofuit.

Viſceribus [10] Bogotæ, decreſcentiſque [1] Potoſi
Ditior: Americas non illi æquare trecentas
Audeo, non totum, quo Cælum fulgurat, aurum.
Hæc erat illuſtris merces, hic terminus olim
Puppibus Europæ. Phœnicia, Cyprus, Ioppe
Egregios urebat avos: ultricia vela
Illuc dirigere, injuſtis ſpoliare rapinis
Prædones Aſiæ, captaſque repoſcere prædas.
Clarius hoc multò, noſtris & dignius armis,
Quàm nudos Indos ignavo quærere bello,
Occultiſque diem nociturum inferre metallis.
Tantorum numera nam quæ ſint digna laborum
Præmia. quæ demum? vicini rura paternis
Addere prædiolis, curru fulgente jugosâ
Ire redire [2] Piâ, quatuor poſt terga ferentem
[3] A pedibus, lautâ [4] Sectorem admittere mensâ,
Poſtremò, quò votorum rapit ultimus ardor,
[5] Oppiduli titulum vacuis meruiſſe Sabinis.

10 Bogota. *Peruviæ regio Septentrionalis.*
1 Potoſum *Peruviæ Oppidum, auri metallis opulentiſſimum.*
2 Pia. *Via, & Porta Urbana, à Pio IV. Pontifice, qui illam ſtravit in Monte Quirinali, nomen babens.*
3 *Subaudi*, famulis.
4 Sector. *Sciſſor, Inciſor Epularis; obſonii ſcindendi dividendique Magiſter. Italis*, Trinciante.
5 *Appellationem, nomenque Comitis, aut Marchionis, vico aliquo coempto in Sabina, aut alia qualibet Provincia.*



SATYRA VII.

Ejusdem Argumenti. Ad Ponticum.

ARGUMENTUM.

PRæsens Satyra continuatio est Satyræ præcedentis. Ut Autor Ponticum abducat à proposito Americanæ navigationis, Alchymicorum eidem sectanda studia proponit. Ponticus vanissimæ artis irritos labores, & certam eorum ostendit perniciem, qui eidem excolendæ se dedunt.

SÆpe iterum [1] capitur,qui primum roserat hamū,
Pontice, pisciculus. Præsens,iterumque monendus

1 *Alchymistas, quos Author hic exagitat, eos homines intelligit, qui auri conficiendi Opifices se venditantes, aliorum patrimoniis, et egestate pinguescunt; non sane eos, qui reconditis naturæ secretis utuntur ad morbos depellendos, suoque ingenio, & disciplina, de Arte, quam profitentur, & Republica præclarè merentur. Sententia Authoris est, nisi, Pontice, mentem abjicies navigandi in Americam, iis permotus, quæ*

Nunc ades; & quoniam medio tibi pectore [2] Crœsos
Insevit scabies infrena cupidinis, audi,
Posthabitâ [3] Californe, Hispaniolâque relictâ,
Qua ratione queas mediâ ditescere Româ.
Alchymicus, lentos hiemem dum fallit ad [4] ignes,
[5] Navigat Americam, maris expers, atque latronum.
Non ille insomnes noctes in [6] cannabe torta,
[7] Ferricrepósque pedes Mauri, stomachique labores
Sustinet. ad prunas arcani conditor auri,
[8] Crure superposito cruri, sellâque receptus
Oscitat, atque duas tantum res factitat illic,
Sufflat, & inflatur. si tanti est esse beatum,
Ditior è modico si nascitur India furno,
Quæ rabies, trabe velivola [9] turbare choreas
Delphinum, & placidos Melicertę abrumpere somnos?
Europam, dulcem Europam, mœstósque parentes
Si tu desereres, ut sacro tingere Fonte

in superiori Satyra posui; confido fore, ut id à te extorqueant; quæ hîc subjiciam.

2 *Divitias. desiderium divitiarum.*

3 *California, Hispaniola, Orbis Americani sunt Provinciæ.*

4 *Fornacularum scilicet, unde aurum contendit eruere.*

5 *Idem, & eo amplius proficit, quod parandas divitias attinet, quàm qui in Americam navigant.*

6 *In rudentum flexibus, & super nauticis funibus cubare sæpius solent, ibique somnum capere navigantes.*

7 *Remigum, qui ferreos laqueos gestare solent in pedibus.* Mauros *dixit, quia multa ex Mauritaniâ mancipia agendis remis addicuntur.*

8 *Ut otiantes solent.*

9 *Suscipere navigationem laboriosam, & navium fremitu incursuque, Delphinum lusus, & somnum Numinum marinorum, ut est Melicerta, disturbare.*

Barbaricas properes, Cælo & transcribere, gentes,
Carbasa pande Notis; Superisque vocantibus adsis.
Dulce est hæc animo volventem scandere pinus
Hesperias, longosque maris superare labores.
Dulce est Indorum extremas appellere terras,
Hostica tela pati, laqueosque, & dira venena,
Et demum, exuviis devicti Ditis onustam,
(Nam quis major honos?) lætam profundere vitam.
[10] Si picea in tabula cunabula Solis & urnam
Solers excutias, Syrio stillantia libro
[1] Galbana ut inducas aris, Panchæaque thura,
Laudo pios animos. scopulosa [2] Ceraunia, Syrtes,
[3] Monstraque sunt tanti, [4] Nabathæa ut nube vaporẽt
[5] Esquiliæ, & spicas consumat flamma Cilissas
[6] Clavigeri ætherei ad tumulũ, [7] ensiferique Magistri.
[8] Ultro etiam tensos jubeam laxare rudentes,
Succos herbarum ignotos, & barbara dictu
Pharmaca si properas accersere: scilicet [9] ævo

10 *Si navigas in alium Orbem, ut inde huc referas nova odoramentorum genera, quæ ante aras Cælitum concremes, augendo eorum cultui, laudo propositum.*

1 Galbana, *aliter* Meropium. *succus è ferula Syria, gratissimi odoris.*

2 *Epiri Scopuli. qui certe non sunt obvii ex Italia in Americam navigantibus; sed illos pro quocunque posuit scopulo.*

3 *Cete. Maris Monstra.*

4 *Thuris vapore.*

5 *Præcipua Romæ Templa, pro quocumque alio posuit. Basilica Deiparæ sacra, in colle Esquilino.*

6 *Basilica D. Petri Apostolorum Principis.*

7 *D. Pauli Apostoli Basilica.*

8 *Ferrem etiam æquo animo tuum discessum, si Indos peteres, ut nova medicamenta inde accerseres.*

9 *Produc vitam Europæorum, asportatis ex India novis antidotis.*

Necte moras celeri, & fluxæ retinacula vitæ.
Surge; ratem conscende; febrim cum [10] pixyde tota
Tolle, minutatim [1] Lugonis cortice cæso.
Advehe [2] Belzoaren, opium, Nepenthes, Elixir,
Castorea, atque tuos, sapiens Kirkere, [3] lapillos.
[4] Falcem hebeta, silvas Phæacum, Ithacæque genistas
Vulnere quâ metit æquato Libitina: retunde
[5] Forficis importunæ aciem; frenosque modumque
Pone tribus [6] Vetulis, sacri ut vertigine fusi
Mitiùs imperitent, formidatâque salivâ.

Postremò vitiis putrem si despicis Orbem,
Quem colis, & scelerum scatebræ, monstrosaq; Lerne
Hortantur fontem [7] Canadâ mutare Suburram;
Americam, Americam, & si quis latet angulus ultra
[8] Virginiam & Caribas, festines prendere. nam quid

10 *Innuit pyxidem Pandoræ, quâ apertâ, omnes morbi & calamitates terras inundarunt.*

1 *Innuit pulverem febrifugum. fit è cortice Indico, cui multum gratiæ, & ponderis conciliavit Joannes de Lugo Societatis Jesu, S. R. E. Cardinalis. unde etiam dicitur passim* pulvis Cardinalis de Lugo. China china.

2 Belzoares, opium, Elixir, Castorea, *nota sunt medicamenta.*

3 *Insinuat lapidem ex Indici Serpentis capite eductum. vocant passim* lapidem Kirkerianum, *à P. Athanasio Kirkero Soc. Jesu, qui ejus usum mirè propagavit.* Pietra Covra. *Vide* Franciscum Redi. Esperienze Naturali.

4 *Mortis falcem, quæ omnes exęquat.*

5 *Forfices, quibus Parcæ telas, idest hominum vitas, incidunt.*

6 *Parcis; quarum nomina* Atropos, Lachesis, Clotho.

7 Canada, *Provincia est Americæ septentrionalis*; Suburra, *Romæ vicus.*

8 Virginia, *Provincia est Americæ septentrionalis, hoc in-*

Tam sævum objiciat, tam turpe [9] Brasilia, quo non
Deterius passim videas. hic fœnore pallet:
Ingluvie ille albus suffitum adipemque culinæ
Computat [10] Elysios: cæso genitore cruentas
Ille manus terget [1] mactata conjuge. [2] fontes
Dicam Aponi, & calido medicatas sulphure Bajas;
Nec tamen infectis inventa piacula venis?
Quàm validâ instructum scuticâ, nervisque torosum
Tenderet hìc carmen mordax [3] Lucilius, aut qui
Primus liventi ceras impressit [4] Iambo!
Verùm hæc majori sannæ latranda relinquo.
[5] Incircum redeo. [6] Exiguū minimùmq; laboras,
Pontice, conjicio, super his: stipare carinis
Infectum virgis aurum, glebasque micantes
Est amor. [7] at parcas nociturum accersere longè

signita nomine ab Anglis, qui illam occuparunt, ut æternum Virginitatis testimonium facerent Elisabethæ Angliæ Reginæ. Caribes, *Americæ populi.*

9 *Brasilia. Americæ Meridionalis Provincia.*

10 *In lautis obsoniis felicitatem collocat.*

1 *Ad mactandam conjugem accedit manibus adhuc cruentis clade genitoris.*

2 *Aponus. fons apud Euganeos, non procul Patavio, calidas habens aquas.* Bajæ, *Campaniæ Oppidum cum portu. utrobique balnea sunt admodum salutaria, adversus multa morborum genera, præsertim vero ad excindendam luem vaga Venere contractam, quam innuit Poeta.*

3 *De Lucilio Latinæ Satyræ Authore non semel dictum.*

4 *Archilocus, Jambici carminis repertor: quo Lycamben ad suspendium adegit.*

5 *In viam redeo. redeo ad convellendum tuum consilium, Pontice, de profectione in Americam.*

6 *Non tu Americam cogitas, ut fugias Europæ vitia, aliisque supra indicatis causis, sed ut opulentior fias.*

7 *Parce asperam navigationem suscipere; & ab Oriente spi-*

Vulturnum. Hircinis inclusæ follibus auræ
Parturiunt [8] Ditem; brevis & fornacula præstat;
Quod vasto petis Oceano. cum fluctibus [9] atris
Aurum quid radians habeat commune? nitorem
Scilicet ignis amat, [10] consanguineasque favillas.
[1] Rides? [2] Narrantem brumalia somnia non te
Splen audire potest [3] abstemius, [4] Atellanas
Et nugas. isthæc facili bibat aure. [5] popellus,
Improbulo Scurrę stultum dum prodigit assem.
Tu credas, anus unguentaria pegmate ab alto,
Quæque levi blaterat dum ludit [6] agyrta petauro?
Abreptum insano possem te [7] linquere vulgo;

rantes ventos, qualis est Vulturnus, quærere.

8 *Divitias, quarum Deus apud Veteres,* Dis.

9 *Aurum nihil habet simile cum undis tempestate atris: potius assimilandum igni, apud quem perpetuò sunt Alchymistæ:*

10 *Auri amicas, & quasi cognatas. nā igne aurum purgatur.*

1 *Ridebat Ponticus, proponi sibi Alchymistarum operam, ut ditesceret.*

2 *Ponticus sermonem excipit, quem prosequitur usque ad finem Satyræ. ait autem, non posse se audire sine risu, quæ diceret Author de Alchymicis vanissima, ut somnia esse solent, præsertim hiemalia.*

3 *Sine risu, cujus est sedes, aut causa,* Lien, *sive* splen. Missa.

4 *Atellanæ. fabulæ, ab Atella dictæ, quod est Oppidum Campaniæ prope Capuam.* Livius l. 7.

5 Popellus. *diminutivum à,* Populus.

6 *Sensus est. credasne tu vanissima isthæc, & similia iis, quæ anus promittunt, dum vendunt unguenta ex editiore loco; aut quæ dicunt* Agyrtæ, *idest circulatores circumforanei, dum ludunt* petauro, *idest ligneâ machinâ, cujus impulsu per aerem rotantur, ut à plebecula pecuniolam corradant?*

7 *Possem labori parcere, ut te ab hac sententia dimoveam.*

Sed ne [8] propositum contra lucteris honestum
(Tendere nam [9] Limam certa est sententia; pinum
Et dudum Hollandam conduximus) experiar, [10] si
Promptiùs Alchymicos tibi vellam de jecore ægro,
Quàm mihi tu dites excusseris Americanos.
[1] Primo fige loco, patriis quòd rarus in oris
Chymicus exercet ridendi pulveris artem.
[1] Noricus est? [2] Henetis mendacia vendit aquosis:
[3] Sequana quem lavit bellator, gaudet Ibero
Carbone & cinere: imponit tibi, Sarmata, fallax
Rheni filiolus: si gramina Thusca momordit,
Sufflat in Helvetiis. [4] Romam novus appulit auri
Inventor, sed enim dixissem veriùs, [5] auræ.
Compelles hominem: quæras quo sidere natus.
[6] Dic, [7] quibus Indigetum vittis & farre litamus,
Quòd te delicium & columen fastumque Minervæ,

sed aggrediar illam refellere, ne impedias meum in Americam navigandi consilium.

8 *Navigandi in Americam.*

9 *Lima. Urbs est, & caput Peruanę Provinciæ.*

10 *Num faciliùs ego tibi persuadeam nihil esse frugis in arte Alchymistarum, quàm tu, ne in Americam solverem, suaseris mihi.*

1 *Norici. Germaniæ populi.*

2 *Heneti. Paphlagoniæ populi, qui cum in sinus Adriatici maris venissent, Veneti sunt appellati.*

3 *Si Alchymista natus est in Gallia (ubi Sequana est fluvius) non ibidem artem exercet, sed (quod exempli gratiâ ponitur) apud Hispanos.*

4 *Finge tibi, advenisse Romam novum Alchymistam.*

5 *Fumi, auræ, rei inanissimæ.*

6 *Utere his verbis, ut illum de sua Patria interroges.*

7 *Quibus Cælitum habere gratiam debemus, quod nobis frui liceat tua arte, & promissis?* Ironice.

Janiculo dederint, serisque nepotibus [8] Anci?
Protinus audieris, Burgundum, Teutona, Belgam;
Moschus erit, Dacus, vel Cantaber, omnia demum
Trans alpes, & nubiferi querceta [9] Gotardi.
[10] Tanta tenent patriæ cur te fastidia glebæ,
Dic, age; quid lutea tantum miraris in Urbe?
Scilicet [1] Arpinum subiit monuisse disertum,
Urbem, Rufe, cole. [2] est operæ, Juvenesque Senesq;
Romano ingenii nervos perfundere [3] olivo.
[4] *Suspectus* mihi sed multùm, procul axe paterno
Qui spondes fasces, diademata, sceptra, tiaras:
Hæc primùm patriæ bona debes, atque propinquis.
[5] Dulcis amor Patriæ, vox est, si percipis illam,
Naturæ-facili foret aureus [6] Herma paratu
Si tibi, non fineres gelidos horrere Decembres
Nudas natorum scapulas, matrisque relictæ.
In digitis te ferre [7] Midam, [8] centone parentem
Nec misso tegere, haud credat, quæ nasum habet, & cor

8 *Romanis, quorum fuit Rex Ancus.*

9 Sancti Gotardi *nomine Mons est in Alpibus editissimus.*

10 *Verba sunt iterum interrogantis Alchymistam.*

1 *Respondet Alchymista, legisse se apud Ciceronem Arpinatem ea verba in* Epist. Famil. Urbem, Rufe, cole.

2 *Supple*, pretium.

3 *Formare animum moribus, & quasi manuductione Curiæ Romanæ. Similitudo à Palæstritis, qui oleo unguntur.*

4 *Subaudi*, es. *verba respondentis ad Alchymistam.*

5 *Vulgare illud effatum:* dulcis amor Patriæ.

6 Herma. *Mercurius.* aureum Mercurium, *faciles paratu opes intelligit.*

7 *Ut omnia possis in aurum vertere.*

8 Cento. *vestis variis panniculis consarcinata. Vide quæ notavimus* Saty. 4. p. 107.

Turba Remi. [9] Adjicias nulla ſtatione teneri
Alchymicum [10] erronem. cui ſervit, Mercurio par
[1] Hoc equidem, pennas quòd habet calcaneus. Augur
Ut [2] Chaldæus, Arabs, Niloticus, aut Syrophœnix,
Omnia colluſtrat: furnos, & balnea mutat:
Nullis caſtra locis hęrent; ſemperque vaganti
[3] Sarcinulæ in tergo: nunc hos, nunc circuit illos;
Excurrit fatuas [4] & deſultorius Urbes.
Materiæ ſimilis, primam quam docta vocarunt
Pulpita; quæ tenues cenſus, dotemque minutam
Nunc [5] flammis, nunc ſpõdet aquis, ſemperque recẽtes
Affectat thalamos, & inexpletos [6] Hymeneos.
Quòd ſi grande moræ pretium ſpes orta [7] lucelli
Fecerit, & dulci moneat ſubſiſtere terrâ;
[8] Nyctimenes ſocius tenebras colit: odit apricum
Lucifugus: [9] lævo ſecretus obambulat amni
Veſpere jam ſero. cauſas ſi ſæpe latentis,
Sæpius errantis cauſas ſi forte requiris,
Ut potero, dicam in nebula. [10] Veterator ineptus

9 *Abſoluto dialogo cum Alchymiſta, Ponticus ſermonem ſuum proſequitur.*

10 *Vagabundum, incerti laris.*

1 *Hoc nomine, & titulo.*

2 *Divinator Niloticus.* Zingaro.

3 *Pera viatoria.*

4 Deſultorii *dicuntur equi, ſine ephippiis, huc illac excurrentes.*

5 *Nam materia alieno indiget conſortio.*

6 *Thalamos & hymeneos vocat, conjunctionem materię cum formis rerum.*

7 Lucellum. *diminutivum à lucro.*

8 Nyctimene, *avis eſt lucifuga. quales ſunt veſpertiliones.*

9 *Ad ripam Tiberis ſerò ſolus ambulat, & cogi tabundus.*

10 Veteratorem, *hominem veteri longâque aſtutiâ, expo-*

Apprensum cubito Ligurinum ingentibus, ut mos;
Promissis onerat.[1] Fratercule, si volo, fies
[2] Attalus actutum. dubitas? sic collige mecum.
Quis Superûm largitor opum? [3] Cyllenius. illum
Oramus, fortunet uti pecus, ampliet & rem.
Verùm [4] Mercurio dominatur Chimicus; illum
Præcipitat, tundit, subigit, concidit, adurit,
Carcere nunc damnat, puro nunc aere curvum
Suspendit; [5] Baldum nec consulit, & Pandectas.
Præbeat Alchymico cum se [6] Caducifer ales,
Fortunas affert, & opes, & denique secum
Cuncta. [7] Papæ! ut bellè concludis! at accipe contra
Paucula, subjecit Ligurinus. [8] Nuncius Arcas

nit Donatus. *hic pro Alchymista.*

1 *Verba Alchymistæ ad Ligurinum.*

2 *Ditissimus, ut Attalus Rex Pergami.* actutum, *confestim. quod actu, & summa fit celeritate.*

3 *Ipse Alchymista sibi interroganti respondet.* Cyllene, *Arcadiæ mons, ubi natus Mercurius, qui inde Cyllenius.*

4 *Hic* Mercurium *sumit Alchymicus pro argento vivo.*

5 Baldus, *primæ notæ Juris consultus.* Pandectæ. *Collectio regularum, & sanctionum juris. ita dictæ, quod omnia complectantur. De iis ita scripsit* Gell. l. 13. c. 9. Tullius Tiro Græco titulo Pandectas inscripsit, tanquam omne rerum, atque doctrinarum genus continentes. *Hoc itaque Argumento Alchymista suadet Ligurino, ut se in suam fidem tradat. Mercurius est opum largitor; Alchymista dominatur, & habet in potestate Mercurium (argentum vivum intelligit) habet itaque in potestate Mercurium, & suas opes.*

6 Caducæum, *virga est propria Mercurii.*

7 Papæ! *interiectio admirantis.* Teren. in Eun. Papæ! hæc superat ipsam Thaidem. *sunt autem hæc, & quæ sequuntur, verba Ligurini, Alchymistam confutantis.*

8 *Mercurius, Jovis nuncius, in Arcadia natus.*

Omnia

Omnia si vobis concessit, tradidit [9] illas
Nempe etiam.[10] Loquere. Argutas; intelligis? [1] illas.
[2] Alma Magistello faveas Lucina: [3] elephantum
Parturit: abstrusam jam solve, [4] Didascale, vocem.
[5] Illas, queis pharetrâ viduatus risit Apollo.
Non malus auriculas demisit, verbere jacto,
[6] Mythologus · cinerem ardentem [7] & lixivia tergit,
Indictoque vale, longè procul inde facessit.
Hinc tibi nosse datum, totum cur Chimicus ævum
Exigat aut vagus, aut lateat mansisse coactus.

9 *Supple*, manus furaces, *quam vocem reticet, ne apertum convicium jaciat.*

10 *Alchymista, aut non assequens, aut se non assequi simulans Ligurini dictum, orat ipsum ut totam sententiam proferat.*

1 *Iterum supple*, Manus Mercurii *furtis assuetas. Ligurinus loquitur.*

2 *Alchymista mutilatum Ligurini sermonem non patitur. proinde rogat Lucinam, parturientium Deam, ut eidem opituletur diu parturienti, nec dum parienti integram sententiam.*

3 *Elephantum duos annos in ventre gestare matres memorat.*

4 Didascalus. *Magister.*

5 *Ligurinus postremò manus Mercurii circumscribit, nec nominat. Ait autem: tradidit tibi etiam haud dubiè Mercurius manus illas suas; quibus postquam Apollinis, Pastorem agentis, boves avexit, ejusdem etiam pharetram clam subripuit. Fabulam versiculis illis tetigit* Horat.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra,
Risit Apollo.

6 *Sensit demum, quò Ligurinus tenderet, Alchymista. utpote qui versatus erat in fabulis, & optimè callebat tactam Apollinis & Mercurii fabellam.* Mythologus, *fabularum sciens, & narrator.*

7 Lixivium, & lixivia, æ. *aqua in qua cinis est decoctus. metaphoricè hic, pro Scommate urente Alchymistam.*

O

Noctivagæ metuit [8] laternæ inamabile lumen;
Occursus vitat, postquam deliria sumptu
Vendidit insano multis, nugasque [9] meracas.
[10] Verùm age non ficto fornax tibi ferveat auro:
[1] Hercule tu dextro felix & noveris [2] artem,
Quam neque Tiresias nudo monstravit Ulyssi.
I celer ad Regum Prætoria: pande [3] fodinas
Privatas: duris populos exolve tributis:
Tolle supervacuas, jubeasque facessere mulctas.
Rari-viluerit si tantùm annona Metalli,
Cur taxata [4] Ceres? cur Massica dolia [5] Fiscus
Dinumerat? fallax oleæ ramusculus & cur
Particulam succi debet [6] Quæstoribus? adde
Olfactus [7] Brasili mercedem pendere jussos

8 *Satellitum. qui impostorem in carcerem conjiciant.*

9 Meracus. *idem, quod merus, purus.*

10 *Transit ad aliud Argumentum. si verum, inquit, aurum conficiunt Alchymistæ, cur non accedunt ad Magistratus, rogantque ut publica vectigalium onera tollantur? cur non ipsi Alchymistæ lautiùs victitant?*

1 *Hercules, Thesaurorum custos habitus.*

2 *Artem ditescendi, quam Ulyssi nudo, & vi tempestatis ejecto Tiresias Augur non indicavit. Vide* Homer. Odyss. & Horat. Serm. 2. Sat. 5.

3 *Aurum, quod tibi domi nascitur.*

4 *Cur tributum pro frumento solvitur?*

5 Fiscus. *pecunia publica, sive ærarium Principis. à fisco, sive fiscina, vel fiscella; quæ vel vas est vimineum, per quod serum defluit; vel viminea sporta, qua pisces asservantur. quâ apud veteres sportâ, seu vase publica servabatur pecunia.* cur fiscus dinumerat dolia? *nimirum, ut sciat partem pretii, quæ sui est juris.*

6 Quæstor. *Præpositus pecuniæ publicæ.* particulam succi, *expone, pretium pro oleo.*

7 *Tributum, & vectigal in Brasilum pulverem.* Tabacco

Pulveris, & nasos sub vectigalia missos.
Hæc rerum domini [8] curent, fatalia bella,
Heluetiasque acies ut alant? conducere furnum
Saniùs Alchymicum fuerat. Quid publica sector
Commoda? [9] dic, sodes, quot equis præsepia comples,
Chimice? spadices numera, quos tessera clarat
Davala: da gilvos cum stigmate Bisiniano.
Quot tibi [10] fœnisecæ sudant? [1] Quorsũ ista? [2] bacillus
Me regit, agresti cultro tornatus Amynthæ.
[3] Cyllarus ille mihi, Xanthusque, & Pegasus, Astur
Ille [4] tolutaris. [5] Rari tu pulveris author,
Tu qui Pactolum in Tiberim deducis, & Hermum,
[6] Bis ternos non jungis equos? tibi cœna paratur

è Brasilia magna vis herbæ Nicosianæ in Europam advehitur.

8 *Stultè Principes tributa imponerent, si tam facilè possent quantaslibet opes parare.*

9 *Sed omittamus de publicis commodis dicere. cur tu, tam facilè parabili auro, Principum virorum vitam non agis? dicas mihi, quot habes equos in stabulo? quot spadices? (punicei coloris equos) quot giluos? (medii coloris inter album, & rufum) & quidem præstantes omnes, cujusmodi magnâ copiâ aluntur à viris illustri nobilitate, ut sunt è familia Davalorum, & Ducum Bisiniani.*

10 *Quantam inducis fœni vim tuis alendis equis?*

1 *Respondet Alchymista, se de plebe hominem, non esse de equis nutriendis solicitum. baculum pro equo sibi esse, pedibus incedenti.*

2 *Baculus, ruditer cultro expolitus ab aliquo Pastore.*

3 Cyllarus. *equus Pollucis.* Xanthus, *Achillis.* Pegasus, *Bellerophontis.*

4 Tolutares *equi, alio nomine* Asturcones *dicuntur, ab Asturia, Hispaniæ regione. dicuntur etiam* gradarii; *quòd molliter crura attollant citra molestiam ullam, & succussationem sessoris.*

5 *Resumit Ponticus.*

6 *Sex equos curru posse jungere, virorum est nobilium, &*

Sed quanti? expedias. [7] ales tibi Phasidos, aut quam
Montanæ misere nives, gallina palato
Responsat blandùm: nec aper de rupe Sabella,
Patriciæ laudanda gulæ nec tubera desunt.
[8] Delicias hominis! claram mihi fibra [9] Sagunti
Ferre famem docilis. [10] bissenas non ego claudam
Ansere ficedulas; excussis bellua costis
Scilicet ut nitidas [1] pariat minimasque volucres,
Mireturque novam prolem. [2] Si proluis auro
Guttura Trojugenûm, solâ cur vesceris aurâ,
Helluo ventorum, & multo repletus inani?
Quid stomacho dicis, miserùmque latrantibus extis?
[3] Parcite nempe etiam paulùm: expectate [4] Kalendas
Augusti, cum vos posito petasone bearim:
Interea durate, & res sperate secundas.
Verùm hęc fortem animũ, dices,tolerare jubebo.
Munditiæ at cordi fuerint: collaria terge:

splendidè viventium. Muta di Cavalli.

7 Fagiano.

8 *Verba Alchymistæ. facetus homo es, qui istas à me exquiras lautitias.*

9 *In proverbium abiit*, fames Saguntina. *quemadmodum etiam*, fides Saguntina. Saguntus, *Hispaniæ Civitas, ab Hannibale obsessa extremam famem, & summas calamitates sustinuit.*

10 *Ficedulas præpinguis anseris pectori inclusas, & ita assatas delicatum esse obsonii genus, narratum est Authori. experiantur, quibus gula est doctior.*

1 Nitidas. *pingues.*

2 *Iterum Ponticus ad Alchymistam.*

3 *Inducit Alchymistam sic alloquentem suum stomachum, & viscera feriantia.*

4 *Primum Augusti mensis diem lautiùs transigere Romani solent, vocantque eas Ferias*, Ferragosto. *Illud*, Durate, &

Pone [5] fenestratam tunicam: jam suspicor istos
Affectat [6] rastrum Polyphemi pectere crines.
[7] Quin tu terriloquis cessas aspergere dictis
Frugi hominem? [8] Quamvis, si fas te ducere: [9] sed fas:
Spero equidem & nostris fies de partibus unus.
Appropera: raptumque manu per flexa viarum
Ducit in arcanas [10] ædes, ubi nulla supellex,
Nudus ubique lapis fumo carieque putrescit.
Credas depopulasse [1] domum Samothraces, Alanos,
Vandalicos, Hunnos, vel quos [2] Narsetis adegit
Ira [3] paludosâ longûm regnare Ravennâ.

res sperate secundas *transtulit ad rem ludicram ex* Virg. Ænei. I. *accidit autem mirè facetum in Satyra, gravia Scriptorum dicta ad jocosum argumentum traducere. verùm ea res curâ in primis judicioque indiget: nam secus nihil erit frigidius.*

5 *Laceram, perforatam.*

6 *Pastorem Polyphemum rastro fingunt crines consuevisse pectere, ut sibi conciliaret amores Galateæ.*

7 *Alchymista sic loquitur.*

8 *Mutilato sermone loquitur, ut solent qui non satis alteri fidunt. ait autem: Qui nos, nostraque despicis, quanta cerneres arcana, quàm capereris auri conficiendi arte, si fas esset te admittere ad secretiora nostræ Officinæ.*

9 *Corrigit se, postquam aliquantisper hæsit cogitabundus, & ducit hominem ad Fornaculam auri effectricem.*

10 *Ubi artis instrumenta omnia, & fornaces auro eruendo aderant.*

1 *Prima, quæ occurrebant cubicula, in Alchymistæ domo, nuda erant, tanquam ea spoliaverint cultiorum Europæ regionum vastatores olim populi.*

2 Longobardos *intelligit, quos in Italiam evocavit Narsetes Eunuchus, iratus Theodoræ Augustæ. Vide* Baron. ann. Chr. 567. *Longobardi autem Ravennam Regni Italici sedem habuerunt.*

3 *Ravennæ situs inter multas est aquarum alluviones.*

Talia mirantis ſubridens ille lacertum
Vellit, & ad lęvam, quà ſe conclave repoſtum
Occuluit, multâque fores obſederat umbrâ,
Corripuit, [4] Lemures nocturnaque ſpectra timentem.
Veſtibulum ante ipſum teretem mihi verſus in aurẽ,
Tu verò tacitus, dixit, ſervare memento
Quæ cernes. Ferrugineâ deducit ahenos
Tum poſtes clavi, & cæcum penetrale revelat.
Scilicet Alchymici patuere Sacraria tecti,
Aurificos ubi Diva beat [5] Macaritis alumnos.
[6] Pandite nunc Helicona Deæ,cantuſq; movete.
[7] Alchymicos Faſces, formidandumque Tonanti
[8] Imperium mortale canam, ſedeſque beatas.
Verùm apage invito quod turget Apolline carmen:
Quid mihi cum [9] bulgâ Permeſſide? [10] torva faceſſe
Melpomene. potius mihi tu, [1] Minoia Virgo,

4 Lemures. *Larvæ nocturnæ. ſunt qui Lemures dictos putent, quaſi* Remures, *à Remo, cujus interfecti umbrâ Romulus moleſtiſſimè agitabatur.*

5 Macaritis. *Latinè* Felicitas.

8 *Notus eſt Virgilii verſus; quo Poeta incipit deſcriptionem Alchymicæ officinæ, ad gravitatem huic loco conciliandam.* Ironice.

7 *Attollit ſtylum, ut rem magis ridiculam faciat.*

8 *Formidandum Jovi dicit Imperium Alchymiſtarum. quis enim Jovem curet, & non potius ab Alchymicis petat ſubſidium ſuæ egeſtati, ſi vera prædicant?*

9 Bulgam Permeſſidem *vocat tumorem Poeticum.* bulga, *ſacculus eſt turgidior ex corio, quo deferunt peregrinantes quæ ſunt viæ neceſſaria.* Permeſſus, *fluvius Bœotiæ ex Helicone, Phœbo & Muſis ſacer.*

10 Melpomene, *una ex novem Muſis, quam Tragœdiarum Scriptores invocant. ideo torvam dicit, & quaſi faſtuoſam.*

1 *Ait, luſtrantem ſe Officinam Alchymiſtarum non tam in-*

Trade, quod ingratum servavit Thesea, filum.
Par labyrinthus adest, par Minotaurus in illo,
Cretensis minimùm quo discrepat; ille puellas
Cecropidûm, miseras sed devorat iste crumenas.
Cernere erat primùm (si quisquam cernere posset,
Squalor ubi tetro prætexuit omnia fumo)
Attamen ut, [2] nebulâ septus, comitatus Achate
Troius Æneas lustrabat Mœnia Byrsæ,
Cernebam temere congestos, ordine nullo,
[3] Alveolos, guttos, biscaudas, cymbia, pelves,
Ampullas, phialas, [4] Balearica, labra, catillos,
Metretas, cumeras, charchesia: [5] docte Baysi,
Pace tua dicam, nec tu tot vasa recenses.
Forsitan Evandri patera, & scyphus Herculis, & qua
Dicitur intonsi virtus caluisse [6] Catonis,
Amphora, de numero fuerat. tum Chimicus usus

digere Musarum patrocinio, quàm filo Ariadnæ, quæ Minois Cretæ Regis fuit filia, quo Theseus filo incolumis evasit è labyrintho. nam inordinata omnia in officina Alchymistarum labyrinthum referunt; hoc tamen à Cretico distantem, quòd ibi Minotaurus Atheniensium puellas devorabat; hìc incautorum opes divitum absorbentur.

2 *Æneas, Achate socio, novam Carthaginem cernebat in nebula à Venere obducta.* Virg. Æneid. l. 1. Byrsa, *propriè corium significat. hìc sumitur pro Carthagine, quòd Dido tantum terræ à Pœnis petens, quantum bovino tergore posset circumdare, ex eodem minutim secto condendæ Urbis spatium designaverit.*

3 *Plurima vasorum nomina connumerat, quæ invenerit in Officina Alchymistæ.*

4 *Insularum Balearium maxima*, Majorica *vulgo dicitur. ex eâ terrâ vasa fiunt, quæ Italis dicuntur*, di Majolica.

5 *Lazarus Baysius scripsit de Vasculis, & re Vestiaria.*

6 *Innuit illud* Horat. l. 3. Od. 21. narratur intonsi Catonis sæpe mero caluisse virtus.

Ostendit rerum varios, & commoda monstrat.
Clauditur hìc [7] pulvis Solis, lac Virginis illic;
Fel lapidum hìc, lacrimamque vides morientis Echini,
Auriculam muris, rabiosæ felis [8] alutam,
[9] Cantharidum nitida expressum putredine succum,
Formicæ cerebrum, jecur anseris, ovaque fœtis
Eruta lumbricis, leporis gallique lienem.
Quid [10] meconiten, plumbi spumamque recocti,
Quid Saturni animam, quid Lunæ rasile cornu,
Quid memorẽ [1] tragicus quę nunquã nomina Sphyngi
Panderet Oedipodes? si noscere plura laboras,
Lexicon Alchymicum [2] Martini volve Rulandi.
Interiùs flexu Fornax camerata recurvo
Tollitur, ad quatuor cubitos elata, tenaci
Hinc illinc obducta luto, quam plurimus ambit
In gyrum, firmatque [3] laterculus igne præustus.
A fronte ostiolum inferius, quo ferrea pendet
Desuper, aut gemino recidit [4] cataracta meatu.

7 *Recenset quædam ad usum Alchymicorum; quædam ipse comminiscitur, ioci gratiâ.*

8 Aluta, *pellis mollior.*

9 Cantharides, *muscæ sunt virides, maculis permistis aureis. vi caustica corpori admotæ vesicas attollunt. earum præcipua vis est in satis vulgato medicamine, vulgò,* Vesicatorii.

10 Meconites, *gemma, papaveris similitudine. Soporifera creditur.*

1 *Ænigmatica, & obscura rerum vocabula: quæ, ne Oedipus quidem solveret, qui Sphyngis ænigma enucleavit.* Tragicum *dicit Oedipum, quia multis Græcorum Tragœdiis argumenta suppeditavit suis infortuniis.*

2 Martinus Rulandus *scripsit* Lexicon Alchymicum.

3 *Diminutivum à latere, qui terram excoctam significat.*

4 Cataractæ, *portæ sunt funibus aut catenis pensiles, magno impetu decidentes, ad hostium vim à Mœnibus propulsan-*

Hinc liceat cinerem subducere, pabula prunis
Inferre; hinc palmâ excurrens [5] paxillus ahenâ
Temperat anormes æstus, moderatur & igni.
Ipsa sed æquato quà sternitur area dorso,
Cretatos forulos interdum, multaque laxat
Certis spiramenta locis, ut vasa receptent
Ænea, queis lentus guttatim liquitur humor;
Solvere seu lapidum venas, seu fusa metalla
Jusseris ire lacu, atque iterum [6] miscere Corinthum.
Turricula in medio erigitur; viridique profundas
Mentitur fossas, & propugnacula limo.
[7] Salve, magna Parens rerum, Fornacula, salve,
Magna virûm. vultu illoto, cinctuque fabrili,
Mercurii hanc circum sacris operata Juventus
Exercet studiosa focos, [8] Liparamque minutam.
Hos inter multis humeros curvatus ab annis,
Forte senex aderat, [9] pistillo calvior: ambas
Barba sed horrificat malas, impexaque pectus
Desinit in medium. poteras dixisse [10] Prometheum;
Semina nam rerum miscens exegerat ævum
Omne luto; sed tunc seris jam debilis annis,
Ingratum sufflans buccis inglorius ignem,

dam. harum similitudinem referunt ostiola fornacularum.

5 Paxillus, *diminutivum à palo.*

6 *Ubi omnis generis metalla, incendio exorto, in commune fluxerunt; enatumque inde æs Corinthium.*

7 Virg. Georg. I. Salve magna parens frugum, Saturnia tellus, magna virûm.

8 *Lipara una ex Æoliis, ubi Vulcanus Officinam habet.*

9 Pistillum *est, quo in mortario aliquid tundimus.* pistillo calvior. *proverbium.*

10 *Prometheus primus figulorum, ut qui hominem ex limo formaverit, fuisse dicitur in fabulis.*

Lassus erat [1] Steropes. Sed cum nimis ilia quassat;
Indulgetque [2] animæ, haud parcus pulmonis & auræ,
Tussicula excussit, tremulâ quæ fronte gerebat,
Vitrea, subsidium fluxæ, [3] specularia, lucis.
Protinus exurgens, dum lustrat singula lippus,
Et nasi quærit bipedalis [4] ephippia, barbam
Flamma, nefas! vaga corripuit: jam guttura præceps,
Jam mentum superat pestis; jam proximus ardet
[5] Ucalegon; fallor: volui nam dicere nasum.
Ejulat, & rabie gemit ille; manuque requirit,
Heu frustra! [6] incrementum ingens. Judæus [7] apella
Non secus indoluit, menti cui [8] syrma pilosum
Christiada implicitum dextrâ, & radicibus imis
Convulsum, statuit vobis illustre trophæum,
Ursulides mille undecies. Dum luget ademptum
Ille decus senii; Moles quid tanta, [9] petebam,

1 Steropes. *Vulcani administer.*
2 *Sufflando ad ignem.*
3 *Conspicilia.* Occhiali.
4 Ephippium, *sella equis imposita ad insidendum. conspicilia hìc Author intelligit, quæ per jocum vocat* nasi ephippia.
5 Jam proximus ardet Ucalegon. verba sunt Virgil. Ænei. 2. *quibus festivè Author abutitur, ut innuat nasum, ardenti barbæ senis proximum.*
6 *Barbæ ad pectus promissæ.*
7 Apella. *recutitus. tangit fabulam in vulgus notam, Judæi cujusdam cum Christiano homine de numero præstantium Sanctimoniâ virorum utriusque ordinis certantis, & quidem propositâ sponsione, ut totidem alter alteri evelleret barbæ pilos, quot recenseret illustri pietate viros. Christianus, post multa, clausit fabulam, dum S. Ursulam, & socias immenso numero Martyres proferens, totum Hebræo barbitium uno ictu convulsit.*
8 Syrma pilosum, *barbam senis vocat.* Syrma, *vestis est Tragicorum productior & caudata.*
9 *Interrogabam quempiam.*

Sulphura quid faciunt, mortaria, cribra, camini,
Præcipuumque [10] lithargyrion? progignere rarum
Contendunt [1] Lapidem: quem si sub luminis auras
Ediderit, fœtu lætus Chimista beato
Exiliat, quantùm visis [2] Galilæus in axe
Mediceis. Lapidem Alchymicum cum dicimus, Indi
Non tibi concha maris, Libyci non flamma pyropi
[3] Occurrat. Scyllæ cautes, sævamque Charybdim
Subjicias animo. raucæ tibi saxa [4] Maleæ
Æquiùs optarim. velis remisque citatis
Navifragum Lapidem cautus fuge. carbasa nullis
Allides graviùs scopulorum cautibus, illi
Quam Lapidi. eventus quod si divertere mentem
Ad tristes liceat; multas exempla docebunt
[5] Dilapidasse domos Lapidem, quem Chimica fornax
Parturit, ad [6] Græcas verùm paritura Kalendas.
Quamvis, rem bene si teneas, ignoscere possis

10 Lithargyrion. *argenti spuma.*

1 Lapidem, *quem* Philosophicum *vocant. is est, cujus tactu omnia fieri aurea memorant Alchymistæ.*

2 *Galilæus de Galilæis quatuor stellas (Jovis satellites appellant) circa Jovem telescopio detectas, in honorem clarissimæ Mediceorum Familiæ,* Mediceas *appellavit.*

3 *Subaudi.* animo.

4 Malea. *Promontorium Laconiæ.*

5 Dilapidare, *est disperdere, consumere. propriè lapides dissipare, & dispergere: per metaphoram de fortunis, & patrimonio dicitur. longe diversam habet significationem* delapido, *quod verbum iterum duo diversa significat: scilicet,* lapidibus sterno*; unde loca delapidata, strata lapidibus exponit Festus:* & lapides auferre; *ut suadet Columellæ locus apud Vossium.*

6 Nunquam. *nam Græci Kalendas non habent.*

[7] Vaniloquis: cœnam qui demum & pallia captant:
Ingenii nec laude carent, marsupia flatu
Dum magico emungunt. potius [8] mirere Potentum
Aures ista pati, docili Chimista frequenter
Quos jugulo trahit, & spe macra fallit hiantes.
Magnanimi est hodie [9] carboni impendere totos
Majorum census, & circumferre superbum
Eversorem [10] arcæ. Si tollit ad æthera [1] Vates
Et genus & formam, [2] Ascræo si pumice radit
Carmen, [3] Cælifera Atlantis cervice ferendum;
De locuplete penu, toto vix mittitur anno
[4] Oenophorum, [5] cerebri merces, & dulce [6] Minerval
Sudorum. missam tamen imputat ille lagenam
Sordidus, inque dies magis imputat; atque ita secum.
[7] Perdidimus testam generosam, & vel Jove dignam,
Nectaris [8] Artimini: tanti est perfundere Vatis
Guttur inexpletum, ut surgant imitata Petrarcham

7 *Alchymistis.*

8 *Principum.*

9 *Alchymistarum studio.*

10 *Alchymistam.*

1 *Supple*, alicujus viri Principis.

2 *Sensus est. si carmina perpoliat, ut sua expolivit Hesiodus, cujus est patria, Ascra, vicus Bœotiæ.*

3 *Carmen sublime.*

4 *Vini lagena, vel amphora.*

5 *Pretium laboris litterarii, quo sæpe cerebrum tenuatur, & læditur.*

6 Minerval. *prœmium erat quod veteres præceptoribus dabant.*

7 *Perdere se dicit dives donatam Poetæ vix demum amphoram.*

8 Artiminium. *Villa est Magni Ducis Etruriæ, cujus magnopere vina laudantur.*

Carmina [9] bis septem, thuri piperique [10] cucullum
Quæ facient demum: [1] nihil his insanius. [2] Esto:
Officit at nullis [3] proles Heliconia; soli
Insanitque sibi: sed cum Chimista trucidat
[4] Mercurium, furit ille [5] tibi: dum follibus auras
Effundit, tibi [6] tempestas Aquilonia surgit.
Ionio in magno errabat [7] Laertia pinus.
Ipsum sed Laertiaden sopor altus habebat,
Curarumque brevis Lethe. pertæsa laborum
Tunc pubes, longique maris, Quid parcimus, inquit,
Solvere [8] nummatos utres, qui splendida condunt
Alcinoi, Circesque, & amicæ dona Calypsus?
Hæc Ithacus sibi condiderit, dum corpora nuda
Nos ferimus pelago? [9] Socios post omnia vincat?
Non ultra effati, turgentes, agmine facto,
Invadunt pelles; corium fatale resolvunt.
[10] Scilicet argentum Ogygiæ, & Phæacia gaza,

9 *Cantiunculam Italicam*. Sonetto.
10 *Integumentum rerum venalium vilissimarum*.
1 *Supple, Poetis*.
2 *Ponticus respondet*.
3 *Poetæ in Helicone nutriti cum Musis*.
4 *Cum, tuis impensis, sufflat Chimista*.
5 *Tuo damno*.
6 *Exitium scilicet & pernicies tuis fortunis omnibus*.
7 *Navis, quæ Ulyssem Laertis filium ad Ithacam revehebat*.
8 *Utres, quibus venti erant clausi, quos acceperat ab Æolo. Sed Socii existimabant iisdem contineri dona, quibus Ulyssem affecerant Reges, & Reginæ Hospites: quales fuerunt Alcinous Rex Phæaciæ, Circe, Solis Filia, & Calypso, Ogygiæ Regina*.
9 *Patientiâ Sociorum abutatur*.
10 Scilicet. ironicè. *non certè invenerunt in utribus opes*

Una Eurusque, Notusque ruunt; densusque nigranti
Turbine fœdā hiemem miscet nimbosus [1] Homerus.
Taurinæ pelles, pudeat! vicistis, & auræ,
Quos neque carnivori [2] Lestrygones, & populatrix
Scylla maris Siculi, cantu non subdola Siren,
Nec domuit vasto clausos Polyphemus in antro.
I nunc, Alchymicos attolle, & deprime folles:
Ventos, heu!, solùm poteris deprendere: sed te,
Sed tua, væ misero! demergent omnia venti.
Verum his præteritis, audi... [3] Cessa, improbe, cessa
Ohe! jam satis est. Dices, quæ forte supersunt
Plurima, cum reducem te prora Batavica reddet
Finibus incolumem Hesperiis, [4] geminisq; Columnis.

Alcinoi Phæaciæ Regis, & Nymphæ Calypsus: sed ventos, quibus omnes perierunt.

1 *Qui tempestatem tragicè narrat.*

2 *Populi, agrum Formianum incolentes in Campania, humanis carnibus vesci soliti.*

3 *Abrumpit longiusculum Pontici sermonem contra Alchymistas: rogat ut reliqua differat in suum reditum ab America. quibus verbis persuasum se ostendit de ejus artis inutilitate: & simul Pontico optatam impertit veniam in Americam navigandi.*

4 *Columnis Herculis in freto Gaditano, de quibus diximus initio Satyræ 6.*



SATYRA VIII.

Ad Ponticum Aſtrologiæ Judiciariæ ſtudioſum.

ARGUMENTUM.

JOcosè paucis agit cum Pontico. Eos, qui in rebus ſuis cęcutiunt, ſtultè aliis rerum præſagia facere. Iudicras quaſdam dubitationes Pontico proponit. Fabula de Scurra, Cæli Menſore. Interdum Aſtrologi ſibi ſtudiis ſuis perniciem creant. Scientia de Sideribus commendatione digniſſima. Qui tamen ad ineptas divinationes eâdem abutuntur, abſurdè faciunt.

ET [1] meritò. præſtat nimirum, Pontice, præſtat,

1 *Moratam, ſanamque Aſtrologiam laude digniſſimam ducit Author, ejuſque ſtudioſos plurimi facit; Judiciariã & damnatam ſolummodo carpit. Fingit autem Ponticum Aſtrologiæ ſtudio ad Cælum ſublatum, illic Cæleſtes Orbes perluſtrare. In-*

Orbe[2] Hyperionio ſedem ſolidiſque Planetis
Figere, ſtellarumque globos peragrare rotundos,
Quàm luteâ toties caligas fœdare [3] Rotundâ,
Cauſidicamque togam, ſublataque pallia fruſtra
A ſilice immundo palmos, reor, ad minimum tres.
Scilicet ut poſtquam dominæ contriveris Urbis
Atria, Patritioſque gradus, [4] stratereſque potentes
Aularum, patrios quatuor poſt luſtra reviſas
[5] Myſta focos, illuc referens vix [6] annua centum,
Solicitæ ſolatiolum, columenque ſenectæ,
Subſidiumque aviæ veteri, cariſque propinquis.
Dulcius eſt audire melos, [7] Orpheius axis
Quod ciet, ad modulos dum dædala [8] Pythagoræos
Se rotat in gyrum revoluti machina Cæli,
Quâm brevis obſcura clauſum teſtudine cellæ

terpellat illum Poeta, & ita incipit ex abrupto. Et meritò. *ſenſus eſt. præclarè facis, Pontice, qui Cæli lucida inhabitas, relicta Urbe, cujus vias lutoſas, honorum lucrique parandi gratiâ, conterunt multi.*

2 *Orbe ſolari.* Hyperion, *Solis pater. pro ipſo ſole frequenter uſurpatur.*

3 Rotunda, *Forum Urbanum emptorium. frequentiâ populi, & depreſſiore ſitu cœno obſitum.*

4 Later, *à lata forma dictus, terra eſt excocta, quæ in lapidem quadratum durata, rubedinem quandam induit, quam nunquam aquâ detergas. hinc* laterem lavare, *pro* operam ludere, *proverbio dicitur.* Terent. Phorm. purgem me? laterem lavem. *dixit* lateres potentes aularum, *epitheton transferens ab aulis ad lateres, uſitatâ apud Poetas figurâ.*

5 *Ut Sacerdotium aliquod cum honeſto reditu obtineas.* Myſta. *Sacris initiatus.*

6 *Subaudi*, aurea numiſmata. *centum nummos aureos.*

7 *Cælum, ſuaviſſimo concentu edito, in gyrum agitur. ideo* Orpheium *dixit; ab Orpheo, qui lyrâ mirum in modum valuit.*

8 *Pythagoras docuit, mira quadam ſuavitate concentus,*

Dicere

Dicere Pannonicas acies, fortemque [9] Viennam,
Et longum irata [10] Pimpleide condere Carmen.
Aut, si de rerum libeat perscribere causis,
Nocturnâ [1] Nyphos, & te, [2] Zabarella, lucernâ
Volvere: tum veterum placitis inventa recenter
Addere: Palladias [3] Boylæo embammate mensas
Condire; interdum [4] Gassendi accersere mulsum;
Sesama multijugis & [5] Magdeburgica chartis
Spargere, Cartesiumq; [6] piper, Tuscumque [7] Salinũ.
Jure igitur, cum te subeant fastidia terræ,
Lucida pervolitas Patriæ [8] proscenia nostræ;
Et propiore die, puraque aspergine roris
Siderei, mortalem oculis & pectore noctem
Discutis: ac Sinai ut recubans in vertice montis

circumagi Cæleſtes Orbes. Vide Cicer. in Somn. Scip.

9 *Carmine Epico celebrare bellum Hungaricum, & feliciſſimum exitum obſidionis Viennenſis.*

10 Musâ. *dictæ autem ſunt Muſæ* Pimpleides *à Pimpla monte apud Thracios, qui ſua loca Muſis dicarunt, exiſtimantes primos Poetarum Thracios fuiſſe.*

1 *Auguſtinus Nyphus Philoſophus, commentariis in Ariſtotelem editis notus.*

2 *Julii etiam Zabarellæ Philoſophi extant in Ariſtotelem commentarii.*

3 *Intellige commentationes Philoſophicas Roberti Boylii, ex Regia Societate Londinenſi.* Embamma, *condimenti genus ad irritandam gulam.*

4 *Condimenta ex doctrina Petri Gaſſendi.*

5 *Inventa Magdeburgica, quorum mentionem facit P. Gaſpar Schottus.* Techn. Cur. l. 1.

6 *Accerſita quædam ex Renati Carteſii Philoſophia.*

7 *Item inventa quædam in Etruria à doctis viris in Phyſica facultate.*

8 *Cæli convexa.* proſcenium. *propriè locus erat ante ſcenam productus.*

P

[9] Ductor Idumæus, vernantibus otia pratis,
[10] Halcyonumque dies agitas, dum [1] Thiade multâ
Castra fremunt, cytharasque ferox & cymbala miles
Verberat, & Vitulo perjurum accommodat [2] aurum.
[3] Æolios campos, depictaque nubila findis:
Seù Venus ipsa tibi, Cæli pulcherrimus ignis,
Aptat [4] olorinas humeris insignibus alas;
Cynthia seu socium curru stellante recepit;
Seu [5] pictæ Junonis aves subiere capistrum.
Nam tanti, credo, non emeris ire per altum,
Ut [6] Beneventanum sessor conscenderis hircum;
Occultusque gravi taciturnæ noctis in umbra,
Fœda [7] capillati modereris lora mariti;
Quo vectore nigras, Erebi furiata Sacerdos,
Scindit [8] anus tenebras, dum lucos tendit opacos,
[9] Devotamque Nucem; præsens ubi Tartarus illi

9 *Moyses*.

10 *Quatuordecim dies, quibus Halcyones, marinæ aves, fœtificant, serenissimi perhibentur*.

1 *Thiades dicuntur, Bacchi sociæ, alio nomine Bacchæ, Bassarides, Mænades &c.*

2 *Innuit inconditos fremitus populi Hebraici, cum, profano ritu, Vitulum aureum coleret, quo tempore Moyses divino colloquio in monte perfruebatur*.

3 *Aerem ventis obnoxium & agitatum*.

4 *Veneris currum alii à Columbis, alii à Cycnis trahi memorant*. Horat. l. 3. 28. quæ Gnidon, fulgentesque tenet Cycladas, & Paphon junctis visit oloribus.

5 *Pavones, Junoni sacri*.

6 *Unum est ex ineptis vulgi deliramentis, Sagas hirco per noctem deferri ad Nucem Beneventanam, ibique malos Genios excire, & cum iis quàm familiariter agere*.

7 *Hirci, olidi caprarum mariti*.

8 *Saga, venefica*.

9 *Obscœnam, execrabilem*.

Annuit, inceftos æquatque vocatus amores.
Verùm ego,qui paucis te vellem,fcandere Cœlum
Quî poffim? vicinam [10] Aram confcendere Cæli
Cui labor Herculeus, medià quæ confita Româ
Marmoreis gradibus, jam dedignata Tonantis
Hofpitium, & fluxam [1] Tarpeja e Virgine famam
Magni [2] Alvernicolæ Sociis conceffit in Ædes,
Atque Joves centum ducit non unius affis.
Quid faciam? audaces cerâ contexere [3] pennas
Namque nefas, volucrefque jugis frenare [4] Dracones:
Sed neque Amycleus mihi fervit [5] Cyllarus; aut qui
Hinnitus poftquam pofuit juffitque valere,
Edebat [6] Xanthus mediis oracula caftris.
Forfitan ad frenos [7] Cyrrhæa valle vagantem
[8] Pegafon accirem: verùm [9] glomerarius ille
Aereos campos jam non proculcat, ut olim,
Penniger; at terræ dejectâ fronte, laborat

10 *Templum eft in faftigio clivi Capitolini, Deiparæ in Ara Cæli dictæ facrum. aditus eft ad hoc Templum per gradus centum, & viginti, marmoreos omnes, eofque admodum latos.*

1 *Ornabat antiquitus Capitolium Templum Jovis, & monumentum Tarpeiæ, Virginis Veftalis, quæ arcem Capitolinam Sabinis prodidit.*

2 *S. Francifci, qui in folitudine montis Alverni, miris Cæli deliciis donifque recreatus, vitam exegit.*

3 *Quod eft in fabulis feciffe Dædalum.*

4 *Quorum minifterio Athenas aufugit Medea, filiis, quos Jafoni pepererat, in patris confpectu trucidatis.*

5 *Equus Pollucis.*

6 *Achillis equus, qui Domino obitum inftare nunciavit.* Homer.

7 *Cyrrha. Urbs Phocidis, ad radicem Parnaffi Montis.*

8 *Alatus equus, qui Poetis, ut fertur, humeros commodat.*

9 Glomerarius. *Author vocis eft* Senec. l. 1. Controverf.

[10] Astmaticus, fatuis postquam servire Poetis
Non cessat: qui, si miseris in versibus hærent,
Syllaba nec præstò est, scuticâ stimulisque fatigant
Alipedem immeritum, & fractis calcaria dura
Transadigunt costis; tanquam de ventre Caballi
[1] Testorem expectent facilisque Synonyma [2] Serræ.
Quid peccat Sonipes, si versus desinit asper?
[3] Consimiles numeros, & eodem fine cadentes
Si non doctus habet [4] Ruscellius, aut [5] Stilianus?
Ergo jacet despectus agris, & ephippia solvit,
Frenaque: demissa [6] clitellas cogitat aure,
Atque [7] moletrinam pro Bellerophonte tremiscit.
[8] Hìc saltem poterit jejunia longa beato
Furfure solari. quanta est nam, Pontice, vatum

detrahere illum operibus suis, glomerarium, sanguinarium. *accipit autem vocem Seneca pro* versuto, Raggiratore. *nam* glomerare *est*, impedire, in globi figuram convolvere: glomus *enim quasi* globus *dicitur*. Equum glomerarium *dixit Poeta, qui spissiore gradu impedire pedes, & quasi conglobare cernitur.*

10 Asthmaticus. *Suspiriosus. cui ob pectoris angustias anhelitus profundior est, & impeditior.*

1 *Ioannis Ravisii Testoris* Epitheta.

2 *Franciscus Serra scripsit* Apparatum Synonymorum.

3 *Rhythmum. Italis* Rima.

4 *Hieronymus Ruscellus scripsit Italicæ linguæ Rhythmarium.*

5 *Alterum Italicæ linguæ Rhythmarium edidit Thomas Stiglianus.*

6 Clitellæ. *Sellæ dossuariæ jumentis impositæ, ad onera faciliùs gestanda.*

7 *De mola frumentaria vertenda est solicitus, qui Bellerophontem per aerem vexit.* Moletrina. *locus est, ubi aliquid molitur.* Molendinum *passim dicunt, minùs Latinè. usitatiùs apud Veteres,* Pistrinum.

8 *In Pistrino.*

Rusticitas, centum impransos qui sæpe duellis
Quadrupedes agitant. Orlandius [9] Aurilupato
Nec siliquas unquam legitur posuisse nec herbas.
Nulla manent [10] Hippogryphum præsepia, postquam
Lunai loculos [1] Astolfus viderit omnes,
Cum pius insani cerebellum quærit Amici.
Sed positis demum quæramus seria nugis.
Et quoniam in medias nec penna nec ungula nubes
Me rapit, hic mihi tu potiùs, precor, axe relicto,
Assideas, varioque diem sermone trahamus.
Principiò, ut valeas, dubito: tibi livida frontem
Stigmata nam mediam diffindunt. omine lævo
Nocturnam rixam subiisti, suspicor. [2] Absit.
Dii meliora piis. Nemoris dum forte per umbras
Solivagam merulam sequerer Venator, ad ictum
Et sclopum instruerem, ter adactaque virga coactam
Contraheret stupam repetito verbere, forceps
Æneus, inclusum silicem qui dente tenebat,
Nescio quo casu excussus, succendit acervum
Pulveris appositi: crepuit displosa repente
Fistula: dissiliunt sceleratæ fragmina cannæ,
Adversamque petunt frontem. [3] Tamen ipse futuri

9 Aurilupatum *ab Italico reddidit, Orlandi Equum innuens*, Brigliadoro.

10 Hippogryps, *& item Latinè Hippogryphus, animal quadrupes, & alatum. satis notus apud Fabulatores Equus Ducis Astolfi.*

1 *Tangit locum Areosti, ubi Dux Astolfus à Lunæ sedibus repetit cerebrum Comitis Orlandi.* Lunai, *pro* Lunæ *dixit more veterum.* Lunai portum est operæ cognoscere, cives. Enn. apud Pers.

2 *Ponticus Poetæ respondet.*

3 *Iterum Author ad Ponticum.*

Nescius haud fueras damni, casusque sinistri.
[4] Nescius omnino. vitassem conscius ictum.
[5] Nescius? Astrologum cum te [6] sutrina salutet?
Astrologo assurgat cum [7] pigmentarius, auceps,
[8] Pellio, [9] pollintor, [10] fartor, legumque peritus?
Cum tua tu videas oculis discrimina [1] lippis;
Pulveris exigui cum te [2] fornacula fallat,
Miscuerint totum si rauca tonitrua Cęlum,
Quid dices, Augur? Turris [3] Grillæa [4] Cyclopem
Sentiet; ad Thermas caprificus combibet [5] ignem.
[6] Nimirum poteris [7] blennis, bucconibus ista
Ingerere, & bardis. non credet Romula pubes,

4 *Iterum Author ad Ponticum.*

5 *Poeta admirabundus interrogat.*

6 *Sutoris, idest calceorum Artificis Officina.*

7 *Qui vendit pigmenta, colores scilicet ad vultus fucandos.*

8 *Qui pelliceas vestes divendit.*

9 *Qui farinam facit, aut cribro purgat. à polline, idest flore, & lectiore parte farinæ.*

10 *Opifex farciminum, ex carne, & adipe secto.*

1 *Putri defluente humore vitiatis. sensus est. cum ad tua pericula, & ad ea, quæ præ manibus habes, cæcutias; de remotioribus divinare qui poteris?*

2 *Repositorium pulveris in sclopo.*

3 *Ponticum inducit divinantem de casu fulminis.* Turris Grillæa, *vetus est Romæ Turris. vulgò.* Torre del Grillo.

4 *Fulmen à Cyclopibus fabricatum.*

5 *Caprificus Thermarum ruderibus silvescentes fulmen percutiet. Thermarum usus apud Romanos veteres erat frequentissimus. insanos in iis extruendis sumptus, & summam magnificentiam, quæ supersunt aliquarum vestigia, & scriptorum testimonia palam faciunt. Vide* Rosin. l. 1. Antiquit. c. 14.

6 *Resumit Author. ridenda, Pontice, facis præsagia.*

7 *Stupidos homines, tardos, hebetesque* blennos, bardos, buccones *dixit.* Plaut. in Bacchid.

Si non [8] Curatoris eget. [9] Mortaria centum,
Dum loquimur, pluviis tormentaque fœta metallis
[10] Namurcum quatiunt. dic, [1] Oedipe, tutus utramq;
Dormit in auriculam, an tradet [2] Bufflersius arcem
Obsessam? Audebis quidquam decernere de tot
Bombardis, tubuli ignoras qui fata minuti,
Quem portas humeris, & quem tua dextra gubernat?
Verùm res, dices, vetus est compertaque, cæcos
Ad sua [3] Tiresias, aliena pericula [4] lynces
Noscere. nocturnas piceum funale per umbras
Lumine ut ad tergum verso qui gestat Ephœbus,
Monstrat iter Domino tæda lucente sequenti,
Ipse sed obscurum per iter vestigia ponit.
Nunc age. Parrhasiæ caudam cum videris [5] Ursæ,
Imbriferosque [6] Hædos, insopitumque [7] Draconem,

8 *Curatorem cum Horatio* 1. Epist. 1. *posuit pro tutore stultis dari solito.*

Insanire putas solennia me, neque rides?
Nec Medici credis, nec Curatoris egere
A Prætore dati?

9 *Receptacula ollarum ignearum missilium.*

10 *Namurcum, Urbs munitissima in Belgio, dum Poeta hæc scriberet, ab Hispanis & Anglis fœderatis obsidebatur.*

1 *Divinator, qualis fuit Oedipus, qui Sphyngis ænigma dissolvit.*

2 *Gallicarum copiarum Ductor & Marescallus, Namurcum propugnabat.*

3 *Tiresiam Augurem, cæcum fuisse ferunt.*

4 *Lynces, silvestria sunt animalia, visu acutissimo.*

5 *Ursæ polaris. Parrhasia, Arcadiæ est Civitas, quam habuit patriam Calysto in Ursam conversa.*

6 *Hædus. Cæleste signum.*

7 *Draco. Cæleste signum. vocat* insopitum, *quia vigili custodia servavit Hortos Hesperidum.*

Atq; [8] Hyadas, Cepheiq; [9] humerũ, & talaria [10] Persei,
Expedias mihi pauca velim, nisi læva tibi mens,
De stellis; quæ nec tetigit [1] Manilius usquam,
Musa Caledonii nec candida [2] Buchanani,
Nec tu Sebethi lumen, [3] Pontane, decusque.
Verane crediderim de Lunæ mira colonis
Prælia, pennigerasque acies, quas prodidit [4] Author
De vera Historia? quem non [5] adstringere versu
Calliope possit, non carminis author Apollo.
Nosti hominem. nugator atrox hominumq; Deûmq;
[6] Sublinit os; [7] Comageni nec parcus aceti,
Undique materiam ridendi & tempora captat.
Præterea geminus, qui possidet æthera, Piscis
Ionium, an Rhodanum, Lucrinave stagna reliquit?

8 *Hyades. stellæ in tauri fronte.*

9 *Cepheus, Andromedæ Pater, in Cælum translatus.*

10 *Perseus, cum ad Gorgones debellandas proficisceretur, à Pallade ægidem, à Mercurio talaria, & falcatum ensem accepit. idem postea in Cælum translatus.*

1 *M. Manilius. cujus supersunt libri V. Astronomicorum.*

2 *Georgius Buchananus scripsit de Sphæra libros V. vocat* Caledonium *à Silva Caledonia, quæ est in Scotia, Buchanani patriâ.*

3 *Joannes Jovianus Pontanus scripsit de Stellis, sive Uraniæ libros V. Eundem dicit* Sebethi lumen, *quòd diu Neapoli vixerit, ubi Sebethus fluvius.*

4 *Lucianus libros II. confertos mendaciis meracissimis, ut est plane ludicrum & scurrile ingenium hominis, inscripsit* de Vera Historia.

5 *Luciani nomen versu Heroico includi syllabarum ratio non sinit. Eum Poeta à moribus circumscribit. lege infra.*

6 *Sublinere os alicui, est per jocum decipere, illudere. tractum à quodam ludi genere, quo dormientibus ora linebantur, hoc est, colore aliquo leviter ungebantur.*

7 Comagene, *pars est Syriæ supra Ciliciam. ejus Provin-*

Da genus, & nomen. ſtellatus terga [8] thymallus
Incidit in caſſes, an lenti anguilla [9] Comacli
Filia? quærendus foveis, ubi rana coaxat,
Cammarus, auriferis an [10] carpio paſtus arenis?
Suſpicor interſit multùm, quæ [1] nomina ſquamæ
Committas ſtomacho: thynni ſubigaſne ſaliti
Tergus, an Hadriaco ſoleris Sabbata rhombo.
Ecce alium in [2] ſcirpo nodum. per compita Cæli
Prodigus inflexam quòd verſet [3] Aquarius Urnam,
Conſilium laudo. tanti eſt aſpergere ſiccam
[4] Zodiaci orbitulam; ignipedum frenator equorum,
Ne Titan nimio, facinus! ſudore madeſcat,
Aut vitiet comptos ſublato pulvere crines.
Sed ſi tantus amor largam deducere [5] mammam,
Jugis aquæ, contra cur purpurat amphora nulla
[6] Nectare Læneo? [7] dormit Semeleius altùm?

ciæ Urbs eſt Samoſata, patria Luciani.

8 Thymallus. *piſcis admodum nobilis.*

9 *Comaculum, ſive Comacula, Urbs eſt, & lacus, circa oſtia Padi, ubi anguillarum & aliorum piſcium ingens copia.*

10 *De Carpione vide* Satyr. 6. p. 186.

1 *Quos potiſſimum piſces.*

2 Scirpi. *junci ſunt paluſtres. hinc*, nodum quærere in ſcirpo, *adagium in eos, qui in re elara dubitandi cavillandique materiam quærunt.*

3 Aquarius. *Cæleſte ſignum. quinam ille fuerit, dubium eſt apud Mythologos. plerique Ganymedem eſſe, Jovis miniſtrum à poculis, arbitrantur.*

4 *Quemadmodum moris eſt vias Urbanas per æſtatem aquis reſpergere, refrigerando civium inceſſui.*

5 Mamma, *idem quod uber. hìc pro largiori fonte.*

6 *Vino ſcilicet.*

7 *Bacchus Semeles filius. ſenſus eſt. cur Bacchus tam oſcitanter tolerat, aquam locum obtinere in Signis cæleſtibus, vi-*

An Superos etiam tangit censura [8] Lycurgi?
Demum quæ feritas miseros excludere Cælo
Helvetios, lætis gaudent immittere venis
Qui largum, & nulla contactum [9] Najade Bacchum?
Rides? [10] Nimirum proponis, amicule, nodos,
Quos neq; [1] Cõplutũ, nec docta [2] Conimbrica solvat,
Nec quæ sudat inaccesso, [3] Salmantica, Vero.
[4] Ergo age.vulgatũ est,cupio quod scire.quot ulnis,
Quotue [5] parasangis tellus secernitur astris?
Tu nutas? [6] barbam tu consulis? expuis & ter?
Quid temet crucias? monstrare quid anxius hæres,
Ostendit domino quod Scurra? Poposcerat [7] ille
Hoc ipsum Astrologos, centena [8] nomismata pactus,

num excludi? num dormit?

8 *Qui, vini odio, Thracias vites excindi jussit.*

9 *Najades fontium Nymphas pro aqua posuit, qua vinum diluitur.*

10 *Ponticus Authorem futilia proponentem irridet.*

1 Complutum. *præclara Civitas in Regno Castellæ novæ, cum celebri Academia, à Francisco Ximenio Cardinali erecta.* Alcalà de Henares.

2 Conimbrica. *Urbs ampla Lusitaniæ, cum insigni Academia.* Coimbra.

3 Salmantica. *Civitas illustris in Regno Legionis, cum Academiâ celeberrimâ, ex Palentia Urbe illuc translata à Ferdinando Rege.* Salamanca.

4 *Poeta iterum sermonem excipit.*

5 Parasanga. *vox est Persica; mensura viarum, triginta, ut Budæus colligit, stadia complectens.*

6 *Perfricas barbam, ac veluti illam consulis, ut solent hæsitantes, & qui tempus ad respondendum captant.*

7 *Scurræ Dominus.*

8 *Pollicitus ei qui certam responsionem attulisset centum nummos aureos duplices* (doppie) *quales ex auro Americano signant Hispani.*

Indorum è virgis dives quæ cudit Iberus,
[9] Indixitque diem: qui postquam è Gange refulsit,
Convenere poli Mensores. Ille [10] dioptras,
Ille [1] parallaxes dum supputat, atque Pelasgis
Vocibus [2] Arcadicas Domini diverberat aures,
Infert se medium curvatis Scurra lacertis
Staminis adducens religati enorme [3] volumen,
Quale Coronelli vix æquet Cosmicus [4] Orbis.
Conticuere omnes. sed ludius ille per omnem
Circumagens cœtum ter lumina; Non ego, dixit,
Sum patria ex [5] Itacha, voces accersere doctus
A Pelope, & [6] Codro, & media Lacedæmone natas.

9 *Ad conveniendum, ut sententiam dicerent.*

10 Dioptra. *Instrumentum geometricum, ad latitudinem, longitudinem, & altitudinem è longinquo dimetiendam.*

1 Parallaxis *est varietas situs alicuius sideris, aut Phænomeni, visi ex diversis terræ locis, ad mensuram ejusdem altitudinis capiendam.*

2 *Rudes, indoctas, quales aselli habent in Arcadia, regione Peloponnesi.* Pers. sat. 3. Arcadiæ pecuaria rudere credas.

3 *Prægrandem fili glomerem.*

4 *Tabula perampla Orbis universi,* Mappamondo, *quam in lucem dedit P. Vincentius Coronelli, Ordinis Conventualium S. Francisci, eruditissimis editis voluminibus, impensoque rem litterariam, & Geographica præcipuè studia, juvandi ardore, de bonis artibus optimè meritus. Virum clarissimum, &, dum hæc scribimus, Ordinis sui Ministrum Generalem, Author honoris & observantiæ causâ nominat.*

5 *Non sine fastidio audierat Scurra, multa ab aliis Astrologis, ad captandam eruditionis famam, Græca adhiberi vocabula. proinde dicit se neque Græcum esse, neque Græcas voces afferre.* non sum patria ex Ithaca. *non sum in Græcia natus. indicat autem Poeta verba illa Achemenidis ad Trojanos, quæ habentur apud* Virg. Æneid. 3. Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulyssei.

Ergo parallaxes alii quærantque dioptras:
Quod loquor, & manibus glomo quod profero, filū est:
Filum [7] Crustumeri, filum dixere Velitræ,
Filum Tyburtes, nemoralis Aricia filum.
Si Cælo caput excerptum tu staminis hujus
Claviculo affigas, & licia ducta deorsum
Ad perpendiculum cœptes devolvere; tensi,
Judice te, lini terram pars ultima tanget.
Quòd si vel latum peccet non amplius unguem
Linea congeries, oblatum hoc guttur eodem,
Pendulus ut spatium exæquem, [8] suspendite filo.
Dixit: & [9] Eucliden nil certius esse loquutum
Assensere omnes. longi glomeramine fili
[10] Morio si tantæ corrasit nomina famæ,
Sidera quid faciunt? quid prodest, Pontice, totis
[1] Optica cum [2] tubulis? Summi fastigia tecti

6 *Ab antiquis aut Urbibus Græcorum, aut Græcarum Urbium Regibus.*

7 *Non abstrusas voces, & Græcanicas adhibeo. quod dico & ostendo, filum est:* filum, *inquam: quæ plana vox est & rotunda, & quam Latini omnes intelligunt.* Crustumeri, Velitræ, Tybur, Aricia, *Oppida sunt circa Romam.*

8 *Juvandum hoc Scurræ gestu, quasi loco pignoris, proprium guttur exhibentis: ut, si allatum stamen minus apposita Cæli mensura experimento deprehendatur, eodem stamine sibi collum elidant.*

9 *Euclides. Mathematicus celeberrimus. scripsit de Elementis Geometriæ libros quindecim, qui omnium manibus teruntur.*

10 Moriones *dicuntur Scurræ fatui, qui solent Principibus esse in deliciis.*

1 Optica. *pars Matheseos, quæ ad oculos visumque pertinet.*

2 *Telescopiis. tubis opticis.*

Conſcendas properè. nitido nox candida Cælo
Provocat examen vitri ſpecularis. ad Arcton
Verte tubum, ſolers tibi quem [3] Campana paravit,
Vel quem [4] Divino debes. attolle lacertos,
Tende manu longę ſeptena [5] volumina cannæ,
Buxoſo alterutros oculos ne parce ſpecillo
Inſerere, & vitro tenſos hebetare [6] rotato:
Nil refert; tragicum caudati syrma Cometæ
Dum videas, clarum te Romula turba ſalutet
Et [7] Meteorologum, ſoliſque annique Magiſtrum.
Aſt ubi nox capiti gravior, damnoſaque nervis,
Affixum Cælo quatuor te viderit horas,
Poſtquam viſa tibi Saturni ſtella nocentis
Frigida, & infeſti [8] facies rubicunda Gradivi,
Quid tandem referes Cæli libramine dignum?
A Jove digreſſum rigido, atque humentibus Auſtris,
Sera fatigatum reficit te cœnula primùm,
Largior & venas Bromius Pater irrigat. inde
Diſcedis cubitum. vix flatu Serva lucernam
Extinxit, pectus cum concutit arida tuſſis;
Ægreſcunt fauces. orto vix mane vocatus

3 *Joſeph Campana, Teleſcopiorum opifex peritiſſimus.*

4 *Aut cujus pretium non adhuc perſolviſti Euſtachio Divino, celeberrimo tuborum Opticorum Artifici.*

5 Volumina. *intelligit partes, ſive tubos teleſcopii complicatos, qui poſtea ad uſum explicantur, & producuntur.*

6 *Aſſiduo rotatu lævigantur orbes vitrei, qui teleſcopio deſerviunt.*

7 Meteorologus. *qui diſputat de corporibus ſublimibus: ac de iis præſertim, quæ miſta imperfecta Philoſophi appellant, ut ſunt pluviæ, grandines, ignitæ faces: quæ* Meteora *vocitant, propterea quòd in ſublimi, hoc eſt, in aere gignuntur.*

8 *Sidus Martis intelligit.*

Accedit [9] Tiracorda. [10] Moram interponite nullam
Huic iterum atque [1] iterum venâ proscindere. prçceps
Est morbi genus, atque animæ juguloque minatur:
Pergamei certa est doctrinà [2] Machaonis: Ægros
Sæpç [3] angina diem non ultra conficit unum.
Verùm ubi [4] vellit utrem, & ventos venatur [5] Iatros,
Nec cruor emissus languentia guttura solvit,
Res ad [6] candelam, & sacræ lustramina lymphæ
Decidit. [7] immortale Epulum, & fragrantis olivi
Chrismata, supremæ sumit [8] munimina luctæ.
Ictibus abruptis post paulò pulsa frequenter
Tristificos dat [9] nola sonos. Quæ funera [10] turris
Indicit? rogitant. Annis & corpore fidens

9 *Nobilis Romæ Medicus.*

10 *Verba sunt Medici ad famulos & amicos, Astrologi ægroti lectum obsidentes.*

1 *Respirationi. halitui ducendo.*

2 Machaon, *insignis apud Homerum Medicus, Æsculapii filius. sed hìc Poeta Galenum intelligit, qui patriâ fuit Pergamenus.*

3 Angina *ab angendis faucibus dicitur. morbus est vi acutissima, spiritui viam præcludens. Italis* Scherantia.

4 *Nihil agit, ut qui utrem vellunt, aut retibus ventos venantur.*

5 Iatros, *Latinè Medicus.* Archiatros, *Medicorum princeps.*

6 *Ad extrema. ad candelam, quæ in Fidei testimonium accensa stringitur ab ægroto. item ad aquam expiatoriam.*

7 *Divinissimum Venerabilis Eucharistiæ, item extremæ è ritu Catholico Unctionis Sacramentum.*

8 *Adversus hostem Tartareum, qui, prædæ inbians, omnes tunc vires exerit.*

9 *Æs campanum, non soluto tractu continentique pulsatum,* (alla distesa) *sed abscissis pulsibus, & ictibus interpolatis. à* Tocchi.

Astrologus, [1] vixit; speculator strenuus ille
Luciferi, & [2] Cancri. [3] Bene habet: nil quærimus ultra.
Insomnes noctes discat nunc ducere celsa
In specula: discat certis deprendere signis
[4] Phænomena, & Lunæ vastos inquirere montes.
Hesperus, [5] Arctophylax, & pigri plaustra Bootæ,
Et Berenicæo pandus cum sidere Delphin
Multos dejiciunt letho, traduntque quotannis
Manibus Astrologos. vindex sic corrigit æther
Audaces oculos, & quæ censoria longis
Assiliunt crystalla tubis. Cælestia signa
Idcircò natura procul submota removit,
Suspicere illa licet quòd nos, sanctèque vereri,
Phlegræis sed non [6] armis invadere. Quædam
Ignorare juvat: seseque ornatior effert,
Sobria dum castum retinet doctrina pudorem.
Sed non sidereos idcirco noscere motus,
Ignitasque faces, & splendida Monstra vetarim.
Astrorum cursus explores atque recursus;
Aspectus Cæli varios, [7] palantia Signa,

10 *Turris Campanaria.*

1 *Vivere desiit. Responsio est cujuspiam è populo, cui comperta erat mors Astrologi, ad eum qui interrogaverat de nolæ sonitu emortuali.*

2 *Luciferum, & Cancrum Sidus intellige.*

3 *Resumit, qui primùm fuit inductus ad interrogandum.*

4 Phænomena, *Latinè* Apparentia. *nova corpora Cælestia, quæ postquam ad certum tempus luxerunt, mox evanescunt.*

5 *Arctophylax, Bootes, Coma Berenices, Delphin, nota sunt siderum nomina. quod fabulas attinet, vide* Hyginum.

6 *Opticis tubis: quasi armis & audaciâ Gigantum.*

7 Palari. *idem quòd vagari, errare. Vossius Ethymon ducit*

Inſpicias: leges luſtris præſcribe modumque,
Ætatumque vices ſtabili ratione recenſe.
Pervince indiciis minimùm fallacibus, ævo
Ut ſit iter certum, atque eadem menſura fluenti,
Quilibet & poſthac eat emendatior Annus.
Hìc animi curas, vigileſque impende labores;
Hìc mihi [8] Pythagoras, hìc tu [9] Megareius eſto.
Præterea qui nos juſſit ſublimia Cælo
Lumina ferre Deus, non interdixit & illas
Ingenio peragrare vias. quò tollere frontem
Nos voluit ſapiens naturę conditor, illuc
Mens volet, & ſuperis ſpatietur libera campis.
Verùm *non ultra crepidam* clamabat [10] Apelles.
Nam quid bellorum eventus ignara repoſcis
Sidera? quid dubii caſus maris, atque viarum?
Et, ſi Natta ratem ſcandit periturus in undis,
Et ſi qui campum fodit Ollus, [1] Satrapa fiet?

à Græco πλανω, *quod exponit*, trajecto. *malim à palis, quibus caſtrorum tentoria fulciuntur, qui huc illuc ſæpe transferri ſolent. præſertim cum vocis acceptio uſitatior ſit in re militari.* Liv.5. Obſidionis tædio victi abſcedunt, vagique per agros palantur.

8 *Qui fuit rerum, motuumque Cæleſtium ſtudioſiſſimus inveſtigator.*

9 *Euclidem Mathematicum alii patriâ Alexandrinum, alii Megarenſem fuiſſe ſtatuunt. Vide* Morerium, & Menag. in Notis Laert.

10 Ne Sutor ultra crepidam, *Apelles dixit Sutori cuidam, qui in Tabula, quam expoſuerat Pictor, non ſatis habens crepidarum vitia taxare, membrorum delineationem reliquam improbabat.*

1 Satrapa. *Perſicum eſt vocabulum. Provinciæ Præfectum ſignificat,* Satraps *pro Satrapa dixit* Sidon. Carm. 11. quiſque ſedet ſub Rege Satraps.

Poſtremò

Postremò arcanos aditus, penitusque repostas
Pectoris humani latebras, & libera causis
Proveniunt quæ sæpe suis, Erymanthidos Ursæ
[2] Vellera si rogitas, & olentis cornua Capri,
(Ut missum faciam, [3] cribro quòd congeris imbrem,
Et cedis nebulas) injurius astra lacessis,
Dignus continuò qui Cæli vindicis iram,
Et merita ultrices referas responsa sagittas.
Quid tibi consilii, quæ mens, [4] Genethliace, duras
Dum nostris animis summo struis axe catenas?
Expers servitii, nostri pars optima, juris
Atque sui retinens, cur a te subditur astris,
Quòque trahunt, sequitur? ceu fune juvencus ad aram
Obtorto rapitur collo, vel vincula centum
Cum subit, & demum tunc [5] Protheus ora resolvit.
Experiar, num divinem quò dirigis arcum.
Turpis an ut totum detergat culpa pudorem,
Atque metum pœnæ, quo perstat vindice Rectum?
Occidas hominem nam si, cogentibus astris,
Si latro sic fueris, mendax, [6] ceritus, adulter,

2 *Pro quocumque sidere accipit Signa Cælestia Ursæ polaris, & Capricorni.* Erymanthus *mons, & nemus Arcadiæ, ubi ortum habuit Calysto, in Ursam polarem conversa.*

3 *Aquam cribro ingerere, nebulas diverberare, parœmiæ sunt, quæ irritam operam significant.*

4 Genethliaci, *qui futura prædicunt, inspecta cujuslibet die vel hora natali,* Genethliaci *tertiam produxit metri gratiâ.*

5 *Protheus, Deus marinus, idemque Augur, non nisi vinculis adstrictus vaticinia reddebat. ab ita devincto optatam responsionem extorsit Menelaus, ut narrat* Homer. in Odyss *&* *Aristæus ut exponit* Virgil. Georg. 4.

6 Ceriti, *furiosi dicuntur. quasi mente à Cerere orbati. Alii scribunt* cerritus; *ut origo sit,* Cereritus, *& ejectâ syllabâ,* cerritus.

Quod ſequitur, Statua id videat [7] vervecea, nullas
Eſſe hominum culpas, & nullos eſſe nocentes.
Atridæ licet [8] olla domi tibi ferveat, herbas
Miſcuerisque manu, quas gignit [9] Colchica tellus,
Abſolvent omni te crimine protinus aſtra,
Deſuper illaqueant quæ te, raptantque coactum.
Nullus erit [10] Minos tam ferreus, aut Rhadamanthus,
Cujus non venias, animi ſecurus, ad urnam,
Si tibi perjuro, patria vel cæde cruento
Sidera vim faciunt. Pupillos Sidera nudant:
Sidera præfocant patruum, natoſque trucidant:
Sidera rixoſæ jugulum fodiuntque novercæ.
Quid ſceleri eſt reliquum, ſi, quæ prohibere nocentes
Sidera debuerant, faciunt? Cæloque rebelles
Mortales non aſtra vetant inſurgere; cogunt?
    Artibus his laqueum ſed non nequiſſimus unus
Effugit; fruſtra commentaque callida movit.
Ille quidem, juſſus tortori tradere collum,
Judicis ante pedes procumbens; Non ego, dixit,
Sum furti reus: ut ſacrâ nocturnus ab arâ
Diriperem argento fulgentia vaſa, Crucemque,
Non ſuperanda mei violentia compulit aſtri.

7 *Hoc eſt, ſtupidiſſimus quiſque intelligat. Servum ſtupidum,* verveceam ſtatuam *appellat* Plaut. in Capt. ite intro: interim ego ex hac ſtatua ververcea volo erogitare, meo minore quid ſit factum filio. *quaſi ex bruto aliquo, mutoque homine.*

8 *Licet occideris tibi ſanguine arctè conjunctos; ut Atreus Thyeſtæ fratris filios elixos eidem devorandos appoſuit. innuit illud* Perſ. Sat. 5. ſi quibus olla Thyeſtæ fervebit.

9 *Herbas venenatas, quales legere conſueverat Medea, Colchorum Regis filia, inſignis venefica.*

10 *Minos, & Rhadamanthus, Inferorum Judices, pro quocumque judice ponuntur.*

Olli ſubriſit Judex; &, Me quoque, dixit,
E trabe tranſverſâ ut jubeam te claudere vitam,
Non ſuperanda mei violentia pertrahit aſtri.
Hæc fatus retro veſtigia vertit : at ille
Conticuit primùm; mox [1] littera longa pependit.

1 *Litteram longam facere, pro pendere è patibulo dixit* Plaut. in Aul. neque quicquam melius eſt mihi, ut opinor, quàm ex me ut unam faciam litteram longam, meum laqueo collum quando obſtrinxero. *Quam verò litteram longam intelligat Plautus, Lambinus ibidem multis diſputat, adverſus eos, qui litteram L eſſe intelligendam contendunt. Litteram, quam Græci vocant* Jota *à Plauto indicari, mihi non eſt dubium.*







SATYRA IX.

Ejusdem Argumenti. Ad Ponticum.

ARGUMENTUM.

EOs, qui Cæleſtium Orbium ſtudiis ſe dedunt, Deum, Cæli Dominum, firmiſſimè credere, ejuſdem verò legibus ſanctiſſimè obtemperare decet. Fabula de Aſtrologo, & Fele amaſia. Futura, præſertim ab humano arbitrio pendentia divinantium temeritas, & ſtultitia. Anus Babylonicæ divinatrices irridentur. Nullam eſſe fidem Ephemeridum in rebus judiciariis. Fabula de Aſino Zimæ.

SI Cæli tibi nota domus, dic protinus ipſo,
Pontice, de Domino quid ſentis? ambigis anceps?
Fare: quid addubitas? ſuſpenſam ad ſidera frontem
Erige. nonne vides radios erumpere paſſim
Numinis immiſti, & veſtigia cæca relinqui,

[1] Stricturasque breves? Cælum est illustre volumen
Scilicet, impressumque notis, quas nullius ævi
Excusor [2] Komarekus habet. nisi percipis illas,
Accipe [3] Anagnosten; paulo & seductior audi,
Non quæ cantabat cithara crinitus [4] Iopas,
Alcinoi [5] aut Fidicen, sed quæ resonare docebat
Jordanem [6] Vates, Carmeli & culmina. Cælum
Numinis enarrat laudes, & jugiter ipsum
Nunciat [7] Authorem. Audisti? an jucundiùs intrat
Ilia Democritus, crassoque [8] Epicurus in horto,
Quidquid & illevit chartis [9] Lucretius Oscis?
Si Collis, media qui surgit in Urbe, [10] Citoreus
Explicat augustam frontem, Sedemque Latinæ

1 Stricturæ, *scintillæ sunt, è ferro candenti, cum tunditur, emicantes. ita dictas docet* Nonnius, *vel quia strictiùs emittuntur, vel quia oculos fulgore perstringunt.* Virgil. 8. striduntque cavernis stricturæ chalybum.

2 *Joannes Jacobus Komarek. notus in Urbe Typographus.*

3 Anagnostes. *Latinè Lector, Interpres.* Cicer. ad Attic. nam puer festivus, anagnostes noster, Sosistheus decesserat.

4 *Jopas. fidicen & Cantor Didonis in convivio Æneæ hospiti exhibito. Vide* Virgil. l. 1. Æneid.

5 *Demodocus, Citharœdus Alcinoi Regis Phæacum, suavissimè pulsabat fides, & accinebat, dum Ulysses ab Alcinoo convivio exciperetur. Vide* Homer. Odyss.

6 *Sanctissimus Rex, & Propheta David.*

7 *Insinuat initium* Psalmi 18. Cæli enarrant gloriam Dei.

8 *Democritus, & Epicurus Philosophi, aut nullos esse Deos aut rerum humanarum curam negligere docuerunt.*

9 *Lucretius Poeta Epicuri Philosophiam versibus exposuit.* chartis Oscis, *id est antiquis. ab Oscis, qui maritimum Campaniæ tractum tenuerunt.*

10 *Prope Flaminiam, & Forum Columnæ Antonini, colliculus est, vulgari appellatione* Citorius, *aliis* Citatorius, *ita dictus à citandis centuriis, & tribubus ad Comitia. Ædes Lu-*

Astreæ, Romamque [1] brevem; si suspicis [2] Ædes,
Annosis merces ubi vectigalia pendunt
Cautibus, & Fisco servit longinqua vetustas
Mole fatiscenti (potuit tantum arte magistrâ
Exesas structura recens ornare Columnas)
Videris hæc, inquam: extemplo mens anxia quærit
Artificem magnorum operum: si proximus unus
De sociis te commoneat; [3] Qui præterit, ille est
Rerum molitor: Dii te, [4] Fontana, profaris
Illico ab abrupto, fortunent: maxima Roma
Assurgat quòd major adhuc, debere fatetur
Se tibi. [5] Præclarè hoc equidem, atque humaniter actū
A te collaudo. Verùm nunc sidera rursum
Suspice. convexi tu celsa [6] Citorea Cæli,
Tu sedem, senii per tot labentia sæcla
Immunem, nullo rimam quæ duxerit ævo,

dovissas in eo Colle summâ magnificentiâ incboatas ad usus Curię Romanæ convertit Innocentius XII. Pontifex Maximus, illuc translatis omnium ferme Urbanorum tribunalium Ordinibus, Ædesque Curiæ Romanę vocari jussit.

1 *Non ita procul à Foro Columnæ Antonini, antiqui ædificii ruinosa quædam, & vetustate exesa vestigia visebantur in platea, quæ vulgo dicitur,* Piazza di Pietra. *incertam Ædificii conjecturam faciunt Columnæ solùm prægrandes aliquot, quæ superfunt, cum epistylio, & parte solidi parietis cum fornice. alii Porticum, alii Basilicam ipsam Antoniam fuisse statuunt. Ea rudera, & Columnas, novo structuræ opere, in Ædes publicorum vectigalium commutavit idem Pontifex Innocentius XII.*

3 *E populo aliquis monet.*

4 *Architecti illustres præfatarum Ædium, Fontana pater, & Filius.*

5 *Iterum Poeta ad Ponticum.*

6 Citorea Cæli *dixit Cæli domum. quasi longe nobiliora Ci-*

Tune Domum tantam, tanto munimine ſtructam,
[7] Fontanâ caruiſſe putas? qui fulciat illam,
Qui tendat validis [8] hypomoclia libramentis,
Nullus erit? nullus tot euntes ordine curſus
Aſtrorum regat, & certis moderetur habenis?
Verùm apage hinc, dices, maledicta nefaria: queſtus
Tolle ſupervacuos, atque impia jurgia. quidquid
[9] Bellarmina docet pueros rubrica, fatemur.
Gratulor. at nitidi ſi [10] bractea tinniit auri,
Cor tibi rite ſalit, cæcoque cupidine putris,
Arcturi, [1] Erigones, & nimbiferi Orionis
Immemor, accepti decoctor prodigus [2] aſſis,
Reſpicis ad veteres [3] glandes, quercumque relictam.
Blandula, poſt paulò at graviùs nocitura voluptas
Si cupidis offert [4] Circeia pocula labris,
Fallacem cyathum properanti gutture ſorbes;
Et vitanda voras [5] narthecia: totus in aſtris

torta, hoc eſt, Ædes Romanæ Curiæ in ejus nominis Monte.

7 *Suo ſcilicet Architecto, & Cæleſti Artifice.*

8 Hypomoclium, *axiculus dicitur in ſtatera, cui jugum innititur.*

9 *Libellus Doctrinæ Chriſtianæ, Roberti Cardinalis Bellarmini.*

10 Bractea *differt à lamina, quòd hæc craſſior, illa tenuis magis eſt, & plicatilis.*

1 *Erigone, Icari filia, paterni funeris dolore, ſibi manus intulit. deinde in Cæleſte Signum Virginis converſa eſt.*

2 *Tuum veluti patrimonium negligens, ſtudia Cæleſtia.*

3 *Ad corporis voluptates, quas abhorrere deberet animus, rebus Cæleſtibus mancipatus.*

4 *Quibus poculis delinitos Hoſpites Circe venefica in feras mutabat.*

5 Narthex, *arbuſcula eſt, ferulæ affinis. inde narthecium,*

Et modò qui fueras, [6] Elpenore turpior ipso,
[7] Colluviaris humum rostro fodis. eripe cœno
Exerti vim celsam animi: mortalia circum
Excute degeneres curas. Quò, transfuga Cæli,
Quò, desertor, abis? si te non altiùs effers
Visco torpentis limi, glebæque tenacis
Sordibus, haud ego te rebus Cælestibus aptum,
Nec reor Astrologum. tanto vis nomine dignum
Noscere? Cantabriâ natum, gelidâque Pyrene
Designo [8] Heroem; Cælo qui lumina figens,
[9] Quâm sordet tellus, inquit, dum sidera cerno!
Disce Mathematicum, [10] bigis qui prævolat albis
[1] Keplerũ, [2] Hipparcumq; [3] Syracusiumq; Magistrũ,

medicamentorum, & odorum repositorium; quòd ea narthecis ligno structis vasculis commodè custodiantur.

6 *Elpenor, unus è Sociis Ulyssis, in suem versus à Circe.*

7 Colluviaris, *autore Festo, porcus dicitur, qui cibo colluvione misto nutritur.*

8 *S. Ignatium de Loiola, Societatis JESU Fundatorem.*

9 *Frequenter admodum, & dulcissimè usurpabat S. Ignatius illa verba.* Quàm sordet tellus, dum Cælum aspicio!

10 *Bigis, vel equis albis præcedere, vel præcurrere dicimus, ubi quem longè aliis superiorem exprimere volumus. Equos albos fortunatiores, & auspicatiores habebant Veteres. ideo Victores in triumpho albis equis ducebantur. albati festis diebus incedebant Romani. albis lapillis dies lætos signabant.* Horat. in Serm. Sisennas Barros ut equis præcurreret albis.

1 *Joannes Keplerus, Mathematicus Virtembergiensis, floruit sub Cæsaribus Rodulpho, Matthia, & Ferdinando. multa, & præclara edidit. Vide* Riccioli.

2 *Hipparcus Mathematicus, Straboni Nicæus, Ptolemæo Rhodius, summam famam obtinuit tempore Ptolemæi Philometoris & Evergetæ, Regum Ægypti.*

3 *Archimedem Syracusium.*

Teque,[4] Conon, phialâ insculptum lucente Menalcas
Quem meminit, socii oblitus.[5] Meteorica novit
Omnia nimirum, & Cæli doctissimus ille est,
Qui vitæ cursum, signant quà sidera callem,
Dirigit, acceditque vocantibus, & sapere audet.
Si tu [6] Cassiopen, Amycleum & Castora calles,
Nubifugos ignes, & signa faventia nautis,
[7] Cur animum in portum tandem non ducis ab undâ
Fœdifragâ? firmat cur nullo in littore mores
Anchora compositos? terras adverte, priusquam,
Heu miserum!, surdos questus, & inania vota
Condas Ægeo in magno, Myrtoaque prendas
Saxa tremente manu. Faciam, portusque requiram,
Dicis; sed paulum expecta: [8] Glyceramne relinquam
Plorantem? [9] Glyceram? Ut timeo ne fabula fias,

4 *Conon Samius, Archimedis æqualis, &, ut Pomponio placet, Magister. Ut gratiam iniret à Ptolemæo Evergeta Ægypti Rege, Berenices ejus Conjugis comam, in sidus mutatam esse finxit. ita habet Callimachus in* epigram., *quod Catullus Latinè reddidit. Hujus Cononis Signum habere se dicebat insculptum in poculo Menalcas apud* Virgil. Ecl. 3. *& simul alterum, cujus nomen Menalcæ non occurrere, è pastoritio scilicet more, finxit Virgilius.* In medio duo signa, Conon, & quis fuit alter? *de eodem Conone* Propert. 4. 1. Horos, & à proavo ducta Conone domus.

5 *Mista imperfecta in aere: grandines, Iris, fulmina, pluviæ, &c.*

6 *Cassiope, Andromedæ mater, post expositam monstro filiam in Cælum relata.* Amyclæ, *Civitas prope Spartam, Castoris & Pollucis patria. Alii Spartæ natos putant.*

7 *Allegoricè loquitur. monet Ponticum, ut ante extremum vitæ tempus sanctioris vitæ consilia occupet.*

8 *Amicam.*

9 *Resumit Poeta cum admiratione.*

Ut quondam Astrologus, sublustri noctis in umbra,
Qui citharam ante fores dominæ pulsabat amicæ.
Tundere sed poterat [10] Phrygiæ cava tympana Matris,
[1] Hilum haud proficeret. Surdos [2] Hispulla lacessit
[3] Glires, & adductis socors lodicibus, altùm
[4] Rhonchissat, quã non moveat [5] Taratantara clamãs
Ennius. at cinerem tepidum quæ forte fovebat
Ad foculum felis, nervis excita canoris,
Unguibus, occlusam [6] temere, eluctata fenestram,
Extantem inscendit tabulam, quam lignea crates
Hinc atque hinc forulis oculata frequentibus ambit.
Astrologus primo ut sensit stridentia tigna
Subsultu, ratus Hispullam, ut pice perlita tæda,
Liquitur, & totis miserum bibit ossibus ignem,
Instauratque melos. sed postquam lumina felis
Lucida per medios rimarum vidit hiatus
Scintillare; jecur tum verò saucius ægrum,
Pertusi ut corium cribri; Proh lumina!, dixit,
Quæ Solem medio auricomus cum fulgurat axe,

10 *Berecynthiæ. in cujus sacrificiis tympana quatiebantur.*
1 Hilum, *nigrum illud punctum, quod in summa faba cernitur, interpretatur Festus. hinc* nihilum. *quasi ne hilum quidem.*
2 *Nomen amicæ, ut fingitur, Astrologi.*
3 *Bestiolæ, muribus similes. truncos arborum colere, & multam vitæ partem dormire feruntur.*
4 Rhonchissare. *stertere.* rhoncus, *stertentis sonus.*
5 Taratantara. *vox est tubæ ab Ennio conficta versu illo,* at tuba terribili sonitu taratantara dixit. *quem Ennii versiculum sic mutavit* Virgil. *9.* at tuba terribilem sonitum procul ære canoro increpuit.
6 *Negligenter. non obseratam pessulis, sed lignis incuriosè laxèque junctis.*

[7] Vendere Judæis possunt. ò sidera, quæ me
Astrologum facitis. Modulis dum ludit ineptis,
Et se cum sociis jactat, tollitque superbè,
(Incertum tulerit quis casus) amasia felis
In miserum revoluta caput, frontemque genasque
Ungue notat; citharæ chordas intercipit omnes:
Atque, procul fugiens, oculos, lucentia jam non
Sidera, luctificos sed nigra nocte Cometas,
Astrologo monstrat; noctu qui felis amator,
Mane fuit totâ notissima fabula Româ.
Ergo Genethliacum si cælant astra futurum
Dedecus; infaustæ fulmen [8] sponsale fenestræ
Si neque milvus hians monuit, nec [9] præfica bubo;
Qùid varios Cæli motus, quid, Pontice, pennas
Alituum, cæsarum ovium quid juverit exta
Consulere, atque recens natis non parcere pullis?
Sed dulce est, dices, visis præsagia nummis
Vendere. Dives amet sic te, cui sidera curæ,
[10] Uranie; populo, tibi cum confertior adstat,
Quid narras, memora; cupio nam discere. [1] Primùm
Est operæ pretium bis sena cubilia Cæli
Noscere. Bos, Aries, Cancer sibi consona fingunt
Nam membra, & venis tacitè dominantur adultis.

7 *Vilissima quæque Judæi Romæ coemere solent, quæ postea majori pretio divendunt.*

8 *Intelligit ictum felis decidentis in caput Astrologi.*

9 *De præficis ita* Festus. præficæ dicebantur mulieres, ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dabant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ.

10 *Uranie, una est ex novem Musis, tractans Cælestia, unde & nomen sortitur. scitè Pontanus Poema de Astris* Uraniam *inscripsit.*

1 *Ponticus Astrologus verba facit ad populum.* bis sena cu-

Nulli nota magis domus est sua, quàm mihi Cælum.
Pandare, Libra tibi mores inducit honestos:
Tyndaridæ dederunt, quòd sis formosa, Lycori;
Faustinum Venus emaciat: tibi tussiit algens
Saturnus: mitis primam tibi molliit horam
Juppiter. Ad stivam Cælo compulsus Arator
Sæpius ingratos sudoribus irrigat agros.
Ad Fasces Cælo devecti, gemmea Reges
Sceptra manu stringunt, atque auro divite pallent.
Ad summam Surrentinum cur Nauta phaselum
Mellitis oneret pomis, cur subliget ensem
Venalem lateri Miles, cur Aulicus horas
Oscitet octonas, sella defixus in una
Ante fores Domini, tabulâ ceu clavus [2] acernâ;
Demum cur causas Juris legumque peritus
Actitet, & doctâ perfundat rostra salivâ,
Intra [3] Zodiaci callem latet abdita causa.
Sed soli patet Astrologo conclave repostum.
Otia quin etiam si poscat Rector Olympi,
[4] Ille immensum humeris, & vix tractabile pondus
Sustineat, tanto haud impar succedere clavo.
[5] Credimus. ut multo nimirum sæpe recedit
Lassus ab igne coquus; solers tunc ferrea versat

bilia Cæli. *duodecim Signa Zodiaci.* Tyndaridæ. *Castor & Pollux, Helenæ fratres. nam Leda ex Jove Pollucem & Helenam, ex Tyndaro Castorem genuit & Clytemnestram.*

2 *Ut Aulicos in procætonibus* (anticamere) *perdiu sessitantes exprimat, similitudinem sumit ab ipsis sellis, in quibus clavi perpetuò manent defixi.*

3 *Zodiacum pro Cælo posuit, partem pro toto.*

4 *Astrologus videlicet.*

5 *Resumit Poeta cum irrisione.* Ironicè.

[6] Pila canis, peragitque vicarius orbe citato
Grande ministerium, costas torrere suillas
Doctus, & experti dextram supplere [7] Magistri.
Hæc populo narras: bibulo qui talibus ore
Annuit, & surdo sorbillat mira palato.
Quò magis insipiens quisque est, hoc credulus idem
Est magis; ac visco citiùs capiuntur obesæ
Ut volucres, pingues veniuntque in retia pisces,
Non secus ingenium quibus est [8] adipale, molestum
Quærendi ut fugiant expendendique laborem,
Vaniloquis faciles dant nugatoribus aures.
An tibi barbato quidquam plebs Romula nolit
Credere, cui grave [9] pantometron, semperque pilosis
[10] Circinus in manibus, centum mirabilis ille
Et qui designat [1] radius spectacula rerum?
Invenere fidem populi plaususque Quirini

6 *Pilum oblongum, ferreum, quo carnes ad ignem torrentur.* veru. *indicat autem quod in non paucis culinis cernere est: ubi canes, ad hoc ipsum priùs eruditi, verua cum carnibus ad ignem vertunt; atque ita famuli coquinarii partem laboris lucrifaciunt.*

7 *Magistrum culinæ intellige.*

8 Adipale ingenium. *quemadmodum dixit* Cicer. de Orator. opimum quoddam, & tanquam adipale dictionis genus.

9 Pantometrum. *instrumentum Geometricum, quibusvis distantiis pernoscendis idoneum. à Kirchero inventum, & expositum in* Art. Magnet.

10 Circinus. *instrumentum ad circulos designandos.* compasso.

1 Radius. *baculus Mathematicus, quo variæ Cæli terrárumque partes designantur, aut figuræ in arena describuntur.* Virgil. 6. Cælique meatus describent radio.

Vel [2] Vetulæ, quotquot, Nilo & Babylone relicta,
Adveniunt, pedibus quæ verrunt Oppida nudis;
Torrida queis facies, hesternâ & nigra [3] polentâ
Labra madent; lateri dependet corneus ansâ
Urceus attritâ: septem per livida colla,
Perque humeros errant nati,& circum ubera pugnant.
Nil est, interpres quod non Nilotica pannis
Audeat in laceris. palmas si credula turba
Offerat explicitas; [4] Titonia sæcula, dicet,
Linea longa tibi spondet; [5] Minoia sed te
Urna citat; lessum, [6] & largos pro funere sumptus
Instrue; non te detineat [7] Malpigus euntem.
Tu, figulo natus, veniet cum firmior ætas,
Ibis in Imperium magnum. Proh dedecus ingens!
Huccine nos rerum? Sellas pannosa curules
Sceptraque vendit anus, faveat si dexter Apollo,
[8] Cassandræ, & [9] decimæ nomen meritura Sibyllæ.

2 *Anus erraticæ, quæ se Babylonicas, vel Ægyptias fingunt.* Zingare.

3 Polenta. *cibarium ex hordeo aquâ perfuso, & deinde exsiccato.*

4 *Tithonus, Laomedontis Trojanorum Regis filius, ob formæ præstantiam ab Aurora adamatus, ab eadem vitam longissimam impetravit.*

5 *Morti es proximus.* Minoia urna, *judicium, quod apud inferos Minos exercet.*

6 Lessus *funebris ejulatio. ut Vossio placet, ab ipso ejulantium sono dicitur, qui est* le le. Cicer. de leg. 2. mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.

7 *Marcellus Malpighius, Medicus Pontificius, multis editis voluminibus illustris, ac præsertim commentariis de Plantarum anatome.*

8 *Cassandra, Priami filia; cujus vaticinia de proximo patriæ excidio Trojani malo suo neglexerunt.*

9 *Decimam Sibyllam dixit, eos Authores sequutus, qui eas*

Insanire putes sed adhuc furiosiùs illas,
Quæ fessam ætatem, in rugas quæ fluxit aniles,
Deflecti ad cunas, niveos florescere crines
Posse docent, pulsâque genas revirere senectâ.
Talia quamquam animus refugit committere chartis,
Inventi turpis quæ sit præscriptio, dicam,
Ridere ut possis rem vanam, horrere scelestam.
Corporis effœti (horrendum!) dum vita superstes,
Articulosque torosque, atque internodia ferro
Scinde minutatim, dicunt: stillantia tabo
Tum membra, & fœdum concisæ carnis acervum
Conde fimo pingui: nec longum tempus, & albus
Surget vermiculus, vitæ qui fila secundæ
Texet paulatim; &, quamvis invita reclamet
[10] Atropos, ad primos revocabit florida membra
Vagitus. Horres? tanto da, Pontice, vocem
Dignam portento. rogitas si forsitan, ipse
Quid dicam? verbo exclamem non amplius uno,
[1] Medeas! Hæc atque utinam documenta sequutus
Non fuerit Senior, [2] generosa stirpe creatus;
Subticeo nomen, patriamque, atque imputo fatis
Adversis hominem; cupidus qui nosse futuras
Regnorum Regumque vices (si nuncia verum
Vulgavit fama eventum) dissectus ad urnam
Transiit ante diem, vitamque cupidine vitæ

novem fuisse statuunt: neque enim satis constat de earum numero.

10 *Atropos. una ex Parcis.*

1 *O veneficas crudelissimas!*

2 *Satis vulgata est fama, virum prænobilem, ut superesse posset futuris Regnorum in Europa conversionibus, jussisse vivum se frustillatim concidi, deinde fimo & certis medicamentis imbutas carnium particulas asservari, donec iterum inde vitam*

Perdidit,

Perdidit, exemplum tragicis ferale cothurnis.
Parciùs ista tamen [3] Chaldæa revelat; amicis
Nec nisi sejunctis audet committere. Verùm
Illa palam Astrologi: clades, incendia, Regum
Funera; quas tellus tremefacta absorbeat Urbes;
Quæ maris ingluviem classes, Aquilone sinistro,
Exaturent; sontes maneat quæ sica Tyrannos.
Scilicet hæc, quotquot remeant, divulgat in annos
[4] Piscator, Claræ mentitus nomina Vallis.
Octobres, [5] gratæ Pueris, venere Kalendæ.
Consule, Piscator quid nunciet. [6] Humidus Auster
Festinat longas madidis diffundere pennis
Quartanas: per tecta salit resonantia grando
Horrida: væ nitidis [7] Venetâ fornace fenestris:
Quæ pendent sacris lustralia turribus [8] æra
[9] Supplicia indicant: Dii longè avertite dirum
Nimbumq; pluviamque, & iniquum vitibus imbrem.

ordiretur. rei fidem in famam rejicimus, qua nihil fallacius. Vide, quæ Poeta scripsit. Carm. T. 1. Anacr. recan. Od. 54.

3 *Anus divinatrix, cujusmodi è Chaldæorum regione, vel Babylonia esse solent, aut esse se venditant.*

4 *Ephemerides Piscatoris à Clara-valle dicti omnium manibus teruntur.*

5 *Quia eo mense ferias agunt, nec ludum litterarium frequentant.*

6 *Perlegit aliquis Ephemerides.*

7 *Fenestris, quæ vitrea habent repagula, qualia ingenti copiâ Venetiis fabricantur, præcipuè in insula, quam vocant* Murano.

8 *Templorum æra Campana.*

9 Supplicium, *idem quod supplicatio*. Salust. In Catil. non votis, neque suppliciis muliebribus Deorum auxilia parantur.

Rursus [10] Ephemerides recita; atq; expēde Decēbrem.
[1] Clarescit liquidus puris Aquilonibus aer:
Sidus triste micans Cælum sed vespere sero
Efferat, & longâ contristat sidera caudâ.
Scis puto [2] quod sequitur; Solio qui regnat in alto
Cogitet [3] extremas tabulas. vulgaria quando
Funera despiciunt Reges; candela nec illos
Lurrida plebejis altos cervicibus [4] effert:
[5] Convasare juvat jactantiùs, ire sub Orcum
Cum strepitu, terras atque ostentare per omnes
Astrorum linguis non ignorabile funus.
Interea vulgi serpunt jam murmura: [6] nunc has
Fatale auspicium, nunc illas mittit in oras
Plebs rudis; utque fidem magis afferat Auguris, & se
Ociùs expediat, Libitinæ destinet omnes,
Quos Asia Europeque colit, quos Africa Reges.

10 *Interpositâ morâ aliquâ, iterum aliquis postulat recitari Ephemerides.*

1 *Verba Anagnostæ, sive Lectoris.*

2 *Nunciari scilicet Principum obitus.*

3 *Tabulas testamentarias, tamquam propediem moriturus; ut fert, è vulgi sententia, Cometæ præsagium.*

4 Efferre, *simpliciter, est extra domum cadaver efferre.*

5 Convasare, vasa conclamare, *voces sunt propriè Castrenses. idque dicebatur, cum milites aliò diversuri jubebantur res suas, idest sarcinas colligere. nomine enim vasis non solùm quidquid cibaria vel liquores recipit, Veteres intelligebant, sed etiam quidquid asseribus est compositum, ut sunt arcæ, capsæque ad quælibet servanda, & aspor. anda utensilia.* Terent. in Phorm. aliquid convasassem, atque hinc me protinus conjicerem in pedes: *Poeta* convasare *hic dicit, de vita migrare.*

6 *Populus, cum futuras Principum mortes legit in diariis, statim de singulis cogitare solet, & per omnes excurrere Principes.*

Jamque recedit hiems, & nullo funere clara
Atratos Proceres talari syrmate vestit.
[7] Expecta paulum, dum ver arcana recludat,
Cum viola & calthis. [8] abiit ver; præterit æstas;
Autumnus discessit; hiems jam sæva recurrit.
Concidit Astrologi jam sponsio tota fidesque,
Pontice. sed sudans en te compellat [9] Amicus.
[10] O bone, num ignoras? lugubris epistola venit
[1] A Dacis. [2] Memora, sodes, quid nunciet illa;
Perlege. [3] Jam senior, septemque epilepticus annos
Qui fuerat, demum vitâ decessit [4] Abaffus.
[5] Evenere. obitum dubio procul hunc notat ipsum

7 *Astrologorum studiosus aliquis, aut ipse Ponticus inducitur ad loquendum. licet tota hieme funus regium nullum videris, expecta alia anni tempora. sat fuerit intra annum Piscatorem ostendi veridicum. ista autem, ut vides, dicuntur omnia ironicè, & ad harum prædictionum stultitiam per jocum seriò detegendam.*

8 *Iterum Author, aut alius qui personam deridendi Auguris sustinet.*

9 *Fingit, inter loquendum Pontici amicum advenire cum litteris, eumque anxiè quærere.*

10 *Amicus Pontici ipsum alloquitur.*

1 *Daci sunt, quos hodie Transilvanos, Moldavios, Valacchios vocamus.*

2 *Ponticus ad Amicum.*

3 *Amicus Pontici inductus, aut epistolam perlegit, aut Ponticum docet ejusdem sententiam.*

4 *Michael Abaffus Turcicarum partium Regulus Transilvaniæ.*

5 *Exilit Ponticus, tamquam Piscator vera prædixerit, comperta post annum morte Reguli Transilvaniæ, jam senis, & septem annos Epileptici.* Epilepsia *morbus est, quo cerebrum maximè læditur, cum corporis convulsione.* comitialem *dicunt, quòd Comitia dirimeret; sacrum, quod mentis quasi sa-*

Piscator, nunquam fallax inventus. [6] ad unguem
Res cecidit. poterit quisquam nunc hiscere contra?
[7] Quid tibi nunc animi, quæ nunc sententia menti?
[8] Accipio Vatem. salve [9] Pythonice, seu tu
Delphicus, optaris Libycus seu dicier [10] Ammon.
Dulce sed ingenuo si frangere seria ludo est,
Objicit argutus quod contra Rusticus, audi.

Clarus imaginibus Princeps, cerisque vetustis
Venatum in saltus processerat; affore sudum
Namque diem ter juratus promiserat Augur.
Ergo ubi se primo sol aureus extulit ortu,
Itur in antiquam silvam. delecta Juventus
Emicat, ancipites positus sortita; canesque
Solicitat nodis crepitantibus [1] articulorum,
Demulcetque armos, & pectora [2] plausa lacessit.

cranium peteret; Herculeum, *quod eidem Hercules esset obnoxius*.

6 *Ad unguem. metaphora à marmorariis, qui unguibus lævorem marmoris explorant.*

7 *Hæc insultans Ponticus ad Authorem.*

8 *Poeta assensum præstat. Ironicè.*

9 *Apollo, Pythonicus dictus à Pythone serpente interfecto.*

10 *De Jove Ammone vide* Satyr. 4. p.121.

1 *Digitis crepitantibus, ut fit ad canes alliciendos, & excitandos.*

2 Pectora plausa, *id est manu percussa molliter, & contrectata, quod est canibus equisque ad tactum jucundissimum.* Virgil. Georg. 3. plausæ sonitum cervicis amare. *clamore & manu lætitiæ signum ostendere, id est propriè* plaudere. *quod in fine Comœdiarum, ubi placuissent, in Actorum gratiam faciebat populus.* Plaut. in Men. nunc Spectatores valete & nobis clarè plaudite. *Hinc Fabulam perducere ad* Plaudite; *&, per translationem, causam, negotiationem, bellum, vitæ cursum perducere ad* Plaudite, *id est ad felicem exitum.*

Illi acuunt iras, Spartanus origine [3] Theron,
Fulmineusque Corabs, Tigris maculosus, & Alce,
Et demum quotquot Thebanum [4] Actæona contra
[5] Nasutus Sulmo immisit. venabula lato
Dum ferro expediunt passim, nemus omne tumultu
Dum resonat; Fossor, sudanti vectus Asello,
Transmeat. impressit quot sulcis ille novales,
Candida tot rugis sulcaverat ora senectus.
Æstus erat: tremulos humeros tamen ille tegebat
Stramine villoso. Qui postquam indagine silvas
Obseptas vidit, paulo cunctantior hæsit;
Et procul, O pubes, operum studiosa Dianæ,
Maturate fugam, dixit; ruit imber aquarum
Actutum, & subito surgens Aquilone procella.
Heu malè vos densa defenderit arbore lucus,
Ni labor, & placidi succurrat dextera [6] Fauni.
Versus ad Astrologum Princeps, quos occinat imbres
[7] Ille, rogat, ventosque. Insanit Rusticus, [8] inquit;
Pellucet Cæli facies, nebulæque subactæ
Decumbunt arvis, & nullo vellere canent.
Agricola interea tenuit vix rustica tecta,
Cum fœda incubuit tempestas imbribus atris,
Involvitque nemus: Boreas luctator, & Auster

3 *Theron, Corabs, Tigris, Alce, canum nomina.*
4 *Actæon, infelix Venator, à propriis canibus dilaceratus, instinctu Dianæ. Vide* Ovid. Metam. 3.
5 *Ovidius Naso, Sulmonensis. dicit Ovidium immisisse canes in Actæonem, hoc est narrasse, à Diana in eandem canes immissos.*
6 *Dei silvestris.*
7 *Rusticus, qui cum asello præteriit.*
8 *Subaudi, Astrologus.*

Excindunt latè quercus. tremefacta Juventus
Cum Domino, longo jactata errore viarum,
(Cælum etiam crebro streperet cum fulmine) demũ
Devenere lares tenues, ubi Rusticus augur
Sessitat ad lætas veteri cum conjuge flammas.
Excipit ille imbri madidos, sellasque vetustas
Instruit ante focos, & largiùs explicat ignem.
Ipse etiam, multo perfusus pallia nimbo,
Venerat Astrologus, verùm non [9] Hercule dextro.
Illico Ruricolam verbis compellat amicis.
Improvisum imbrem rogitat quo sidere nosset,
Sævaque quo tanto præsenserit astra Magistro.
Ille sub hæc tacitus digito commonstrat Asellum
Sopitum, quo vectus, agro discesserat, & qui
Tunc placidè tecto stratus recubabat eodem;
Mox addit. cum tristis hiems inopinaque surgit,
Præscius hic, caput attollens ad sidera, toto
Corpore inhorrescit; præsagas subrigit aures:
Nec modus in gyrum elatam vel flectere caudam,
Assiduis vanas vel cædere calcibus auras.
Hæc ego signa videns, cophino rastrisque relictis,
Huc properè cursum tenui. Subrisit amarùm
Astrologus: vilis quadrupes quo nempe Magistro
Plus sapuit. Solenne tuum, Florentia, vulgus
Hinc habet Effatum: quoties laudatur Aruspex
Nobilis; Ille Zimæ (fossor Zima namque vocatus)
Doctior est Asino, dicunt. Oppone Colono,
Pontice, si quid habes. [10] Cupiebam dicere pauca

9 *Viatores sunt sub Herculis patrocinio, ut qui plura sola terrarum peragraverit, quam ullus mulio perpetuarius, ut facetus ille scripsit.*

10 *Ponticus loquitur.*

Jamdudum ; sed tu, ægrorum dum somnia quæris,
Dum nugas sequeris passim, nec habentia pondus,
[1] Occidis. libet at quoniam cessare parumper,
Accipe, quæ contra sedato pectore dicam.
[2] Dices? nunc etiam ut mendax noscare, tacebis.

1 *Mactas me tua garrulitate.*
2 *Concludit Poeta.*





SATYRA X.

Ad Ponticum Poetica studia capessentem.

ARGUMENTUM.

GRatulatur Pontico novum excolendæ Poeticæ artis ardorem. Quæ potissimùm causæ Ponticum ad Poeticam amplectendam impulerint. Vividum ingenium & experrectum deposci à Poesi. Eadem facultas abhorret ab ingeniis quibusdam absurdis, & minùs compositis. Fabula de Tonsore, qui, ut Poeta fieret, in Bœotiam commigravit.

VErane? [1] nimirũ hoc fuerat, quod læta monebant
Somnia, Castalios inter mihi visus Olores
Cum peteres placidas pennis sublimibus auras,
Mulceresque diem cantu. Quid, Pontice, de te
Audio? clamosi primùm mihi dicte Lycæi

1 *Verumne est quod inaudii, Pontice? te nimirum ad studia Poetica animum appulisse.*

[2] Assecla; post paulò [3] Astrologus, qui divite vena
Vendebas populo sortes, prognostica, [4] Cyrrhæ
Nunc juga solicitas [5] Philomusus; [6] Pegasus hinnit
Nunc tibi, Gorgoneçque aperit libamina mammæ.
Ergo Pierius fodiet præcordia [7] thyrsus
Cum tibi, doctus eris cortinam attingere Phœbi
Non pavitante manu, rapidoque effingere [8] torno
Carmina, demorsos testantia fortiter ungues,
Et quæ Mexiaci sapiant [9] cocolatis acumen?
Seu tu Plautino proscenia solvere risu
Instituas animum, seu cesserit arma canenti
[10] Ilias, Æneis, Stilicon, Pharsalia, Thebæ.

2 *Vide* Satyr. 5. *ad Ponticum Philosophum*.

3 *Vide* Satyr. 8. & 9. *ad Ponticum Astrologum*.

4 *Cyrrha, Oppidum in Phocide, non procul à Parnasso.*

5 *Philomusus. Amator Musarum.*

6 *Hinnitu te excitat Pegasus, equus Poetarum; tibi fontem Hippocrene, ad hauriendam venam poeticam, offert. Pegasus equus alatus, ex aere descendens in Phocidem, è silice, quem ungue percussit, fontem eduxit, qui ab equina ungula Hippocrene est dictus. fertur vero Pegasus ex reciso Gorgonis, idest Medusæ, collo exiliisse. hinc fontem Hippocrenen dicit* mammam Gorgoneam.

7 Thyrsus. *hasta ederis convestita, quam Bacchantes quatiebant. per translationem sumitur pro stimulo & incitamento.* Lucret. 1. percussit thyrso laudis spes magna meum cor.

8 Tornus, *instrumentum fabrile, quo circumactum ebur, lignum, aut quid simile expolitur.*

9 Cocolate. *vox, ut res ipsa, recentior. potio, studiosis credita salutaris. conficitur ex certo glandium genere* (Cacao) *quæ ab America, & quidem probatiores ex Regno Mexicano advehuntur, cum saccaro, cinnamomo, aliisque odoramentis. Vide* Autho. Car. T. 2. Eleg. l. 11. *6.*

10 *Homerus, cujus Poema est Ilias; Virgilius, qui scripsit*

Nam tibi nec rabies veniat tam dira canendi,
Ut ducens refluum per pulpita syrma tragœdi,
Aut recoquas miseri costas lumbosque [1] Thyestæ,
Sanguine vel places ventos, [2] & Virgine cæsa.
Verùm quæ residem te causa, quis impulit Author,
[3] Chaldæis properè, [4] Peripateticisque relictis,
Musarum fieres ut amasius, & [5] socienus?
Ne pigeat fari, & casus exponere tantos;
Sic te Phœbus amet, tibi sic [6] Orpheia Mater
Nupserit, & digitis dotalia cymbala pulset.
[7] Unguibus à teneris, primoque à limine vitæ,
Lacrimulæ faciles, & anilis nænia somnos
Cum facerent, luteoque imitarer Pergama muro,
Aut nucibus quatuor, nitidis me cœpit ocellis,
Hortatrix magnorum operum, [8] Philodoxia: [9] bullæ,
Sola mihi Famæ crepitacula grata sonabant.

Æneida; Claudianus, qui de laudibus Stiliconis; Lucanus, qui Pharsaliam; Statius, qui Thebaida.

1 *Non sane hic Tragædiarum studia Poeta improbat; sed, quod Horatius docet* in Art. *monet, ne palam exprimantur in scena atroces quædam clades, ut filii Thyestæ à patre palam devorati.*

2 *Innuit versum* Virgilii Æneid. 3. sanguine placastis ventos, & Virgine cæsa: *Iphigeniam intellige, immolandam ab Agamemnone, qui Dianæ cervam occiderat.*

3 *Studiis Astrologiæ, quibus addictissimi erant Chaldæi.*

4 *Studiis Philosophicis.*

5 Socienus *socius.* Plaut. Aul. ibo intus, atque illic tuo socieno jam interstringam gulam.

6 *Calliope.*

7 *Ponticus loquitur. nota sunt ludicra puerorum studia, qui luto, & nucibus munitiones, arcesque imitari solent.*

8 Philodoxia. *amor gloriæ.*

9 Bullæ, *crepundia puerorum, à crepando, idest tinniendo*

Hinc ubi purgatam puero mihi velleret aurem
[10] Tityrus,atq; unum caneret,preq; omnibus unum
Felicem, rerum possct qui [1] noscere causas;
Continuò petii, duro me ducere [2] clivo
Qui manicâ apprensum, penitusq; extundere possent
Scintillam, abstruso latitantem in pectore, Veri;
Siqua mihi implicuit Cælestis pura rapinæ
Semina [3] Iapetides. discordibus omnia pessum
Sed postquam studiis dederunt [4] Phœnicia vecors,
[5] Smyrna, Rhodos, Samos, & Colophon, & [6] tinnula Memphis,
Quæque Jovis cerebro nomen meruistis, [7] Athenæ;
Ex illo [8] saccos, loculos, [9] Schediasmata, cistas,

dicta, quorum sonitu mirè capiuntur. ait Ponticus, famæ tubam suas fuisse bullas & crepitacula. à puero fuisse se gloriæ cupidissimum.

10 *Virgilius.*

1 *Versus est* Virgilii, Georg. 2. Felix, qui potuit rerum cognoscere causas. *ait autem Ponticus, hunc Virgilii versiculum incendisse suum animum, ut sibi Magistros exquireret ad discendum.*

2 *Clivum intellige asperum & laboriosum Virtutis, atque Sapientiæ.*

3 *Prometheus, Japeti filius. surrepto è Cælo igne creditus est animasse primum hominem, fictum ex luto.* semina Cælestis rapinæ *idest ignis, bonæ scilicet mentis & ingenii, quod igne Promethei significatur.*

4 *Phœnices, antiquissimi litterarum cultores.*

5 *Urbes litteratis viris, quos ediderunt, præstantes.*

6 *Ægyptiis, à quibus alii originem bonarum artium repetunt. Memphis, Ægypti Civitas,* tinnula, *quod ibi Isis Dea coleretur crepitaculis quibusdam, quæ* Sistra *vocabantur.*

7 *Athenæ nomen habent à Minerva, quæ à Græcis* Ἀθήνη *dicitur. eam vero à Jovis cerebro natam fabulantur.*

8 *Saccos, & loculamenta librorum.*

[10] Chrysippos, Senecas, & inexplicitos Zenonas,
Membranas veteres, & commentaria duris
[1] Asseribus, totoque simul cum cortice fagi,
[2] Beniaminus habet, crocini propola galeri.
Credulus accedam nam quid tibi, clara [3] propago
Nicomachi, [4] currus agit in diversa citatos
Si Plato? quidve tuis fidam, [5] Abderita, cachinnis;
Tristior [6] Antiopâ, si flet contrarius [7] alter
Nubilus, inque diem septem [8] sudaria mutat?
Nec mirum: totos nam perpluit imbrifer annos
Sponte miser; pœnâque volens cruciatur amatâ.
Ergo [9] Cleantheam longùm valuisse lucernam,

9 Schediasmata. *chartulæ, ubi res, ut in mentem veniunt, adnotamus, expolituri cum fuerit otium.*

10 *Libros Philosophicos.*

1 *Antiqui librorum compactores durissimis pellibus, & ligneis interdum tabulis libros tegebant, minùs fortasse concinnè ad ornatum, sed longè consultiùs ad custodiam.*

2 *Beniaminus ponitur pro quocunque Judæo Institore. coemunt Romæ Judęi detrita utensilia omnis generis. ait Ponticus, se desperatione discendi, libros vendidisse Judęis, quorum tessera in Urbe est, velamen crocinum supra galerum.*

3 *Aristoteles, Nicomachi filius.*

4 *Si Plato sentit longè diversa.*

5 *Democritus, Abderæ in Thracia natus, humana omnia risu excipiebat.*

6 *Antiopa, Nyctei filia, à conjuge Lyco Rege Thebanorum conjecta in carcerem, vitam ærumnosam duxit. hinc adagium.* Antiopæ luctus.

7 *Heraclitus Philosophus Ephesius, cui humana omnia fletu digna videbantur.*

8 Sudarium, *linteum est quo vultus sudorem detergimus, nares expurgamus.*

9 *Cleanthes Philosophus insigni fuit diligentiâ, acerrimâque*

Socratis & [10] platanum jussi; sterilisque Minervæ
Finibus, irato digressus protinus [1] Hermâ,
Astrologos adii; commercia Cælicolarum
Queis coluisse datum, & Cæli [2] propylæa tueri.
Veridicos rebar: sed non operosiùs illis
Insanit quisquam: [3] Tricas apinasque meracas,
Et vacuos inflant magno molimine folles.
Hìc etiam larvas, umbrasque sequebar inanes,
Et largos sicco quærebam à pumice rivos.
Quid facerem? Sanctum quoniam cognoscere Verum
Difficile hoc ævo est, mihi scilicet [4] Anchora sacra
Deijcitur; rebusque venit fiducia fessis,
Pierias pulsare fores; feliciter iste
Si mihi [5] taxillus caderet: venit fiducia fessis, joculariter [6] illic

censurâ. hinc vulgare effatum: Opus evigilatum ad lucernam Cleanthis.

10 *Platanus, consita doctrinâ Socratis, irrigata sermonibus Platonis, arbor celeberrima in Academia. Erat autem Academia locus arboribus umbrosissimus prope Athenas, ab Academo quodam ita nuncupatus. eum locum adibat Plato magnâ discipulorum frequentiâ, qui ideo Academici dicti sunt.*

1 Herma *Latinè Mercurius.*

2 Propylæum. *Porticus ante domum.*

3 *Apina, & Trica duo fuerunt Apuliæ Oppida, quæ Diomedes tam facilè, tantâque civium ignominiâ expugnavit, ut in proverbium transierint.* Tricas *enim &* Apinas *dicimus, cum rem nullius pretii volumus ostendere.*

4 Anchoram sacram solvere, dejicere, *est ad extrema præsidia confugere. à nautis, qui anchoram omnium firmissimam, sacram vocant; eamque non nisi extremo jaciunt discrimine.*

5 Taxillus *diminutivum à* talus. *si hæc mihi vitæ ratio, veluti tali jactus, fortunatior contingeret.*

6 *Apud Poetas.*

Nam peragi quamvis ſim conſcius omnia, ſaltem
Ingenui eſt, vitium non abdere vana ſequentem,
Nec [7] prætextatis mentiri ſeria nugis.
Non ego, pollicitus montes, aurique fodinas,
[8] Scruta tibi vendam, ſtrigiles, clavoſque refixos
Inſtitor improbulus. multa & præclara minantes
Cum paſſim tot deſipiant, & ſyrmate longo,
Si bene rem teneo, lucro eſt inſania ſimplex.
Hæc reputans; Heliconiadum luſtrare receſſus
Conſtitui, [9] bifidam Parnaſſi tangere frontem,
Fonte [10] caballino cupidas & tingere fauces.
Audio; rem bellè narras. Heliconia dextro
Limina quòd pede contigeris, tibi cædimus agnam
Votivam: quando thymbræque, ederæque ſequaces,
Magnorum merces, & præmia rara [1] laborum,
Dum fortuna fuit, res occiſiſſima nunc ſunt
([2] Plautinam ut revocem à carie & rubigine vocem)
Quandoquidem ſacri, mortalia Numina, Vates,
Divinum quibus ingenium, Phœbumque ſonans os,

7 *Puerilibus. à prætexta, quo pueri veſtimento utebantur uſque ad annum decimum ſeptimum, quando togam virilem ſumebant.*

8 Scruta *dicimus attritas veſtes, ſtrigiles, clavos, ſoleas jumentorum, & quidquid vile, uſque deterius factum, venale eſt.* Lucilius apud Gell. l. 3. c. 14.
Quidni? & ſcruta quidem ut vendat ſcrutariu' laudat,
Præfractam, ſtrigilem, ſoleam improbu' dimidiatam.

9 *Parnaſſum, montem biverticem.*

10 *Hipprocrene. quem fontem elicuit Pegaſus, ungulâ terram feriens.*

1 Horat. l. 1. doctarum ederæ præmia frontium.

2 Plaut. Men. occiſa eſt hæc res. *Idem.* Caſin. occiſiſſimus ſum omnium, qui vivunt.

Quos tantùm non thure colas, cæsisque juvencis;
Proveniunt passim; ut [3] limaces imber aquarum
Tardigrados creat; ut callosæ tubera terræ
Excludunt [4] tonitrus verni, fungosque suillos.
Sed priùs [5] Ionium fallax quàm puppe lacessas,
Pontice, dum procul inspicimus freta turgida, votum
Comprime velivolum, prætentemusque profundum;
Fluctibus in mediis frustra [6] Glaucum, & Panopeam
Ne vocites. Vetus est sapiensque parœmia; [7] Abydum
Ne temere: Vitat Gades non Hercule major:
Nido majores stultum est extendere pennas.
Ergo, novi tibi consilii dum germen in herba est,
Da veniam socio veteri, si pauca disertè
Præmoneo: hìc tua res agitur: tibi luditur: [8] isthic
Nec seritur mihi, nec metitur. ne splendida vatum

3 Limaces, *cochleæ terrestres; à limo, in quo vivunt, nuncupatæ, ut scribit* Festus. *an à* limando, *quòd olerum folia levissimè abrodant, & quasi liment?*

4 Tubera. *terræ sunt calli. tenerrima esse, quæ verno tempore crebris tonitribus excluduntur, author est Plinius.* Juven. Sat. 5. raduntur tubera, si ver tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas majores. *Fungos suillos. vulgo*, Fonghi porcini.

5 *Allegoria est. priusquam studia Poetica, tanquam mare aliquod, ingrediaris, rem totam otiosè perpendas; ne, si minus feliciter processeris, serâ pœnitentiâ capiaris.*

6 *Glaucus, Deus marinus: Panopea, maris Nympha.*

7 Abydum ne temere. *subaudi naviges. monet parœmia, non esse periculum suscipiendum sine idonea causa. vel quòd ad Urbem Abydenam, quæ in Asia ad* Hellespontum *sita est, difficilis est navigatio, angusto, æstuosoque intercedente freto* Hellespontiaco; *vel quòd cum Abydena gente nequioris ingenii, & calumniatrice, difficile erat pacificè agere, ibique tutò versari.*

8 *Tuum negocium, non meum agitur.*

Nomina,

Nomina, grandisoni ne tintinnabula plectri,
Falsaque gloriolæ species te fascinet, aures
Insere fruge bona, & paulo seductior audi.
[9] Principiò .... sed anhela quatit tibi pectora tussis:
O! ehodum; bone vir, quid agis? collaria solve,
Expue, tunde manu pectuscula, sternue lætus:
Pulmoni & lateri [10], Rhamnusia, parce. [1] Revixi;
Jam sunt res salvæ: tribues tu phlegmate lento
Sæpe laboranti veniam. [2] Quid, Pontice, narras?
Phlegmata te cruciant? langues obnoxius illis?
[3] Nullus sum: miser interii: mihi nuncius esse
Non equidem gravior poteras. Juga scandere sacra,
Et celsum saxis Helicona minantibus audes
Phlegmaticus? magicis te ductū ad carmina [4] rhombis
Crediderim. tibi si viscosa coagula pigræ
Arteriæ imperitant; si torpet pectore lævo

9 *Abrumpit statim sermonem. fingit enim, Ponticum tussi concussum vehementer agitari. itaque transit, ut fieri solet, ad animandum Ponticum, ut gravedinem pectoris sedet excreando, & laxatione vestium. Videbis infra, ab ea tussi iterum postea argumentum sumi ad tractationem studii Poetici.*

10 *Rhamnusia. eadem est quæ Nemesis. indignationis Dea. invocatur, ne noceat.*

1 *Respiro jam à pectoris concussione. loquitur Ponticus, postquam à tussis agitatione se recepit. & quoniam institutum à Poeta sermonem tussiendo abruperat, apud eundem se purgat, utpote pituitosus & phlegmaticus constitutione naturæ.*

2 *Resumit Poeta, molestè admodum accipiens, quod audierat, Ponticum naturâ esse phlegmaticum.*

3 *In summa sum ægritudine, Pontice, tuâ causâ. nihil poteras mihi sinistrum magis, & incommodum nunciare, quàm, cum ad Poeticam animum adjungas, te esse pituitæ obnoxium.*

4 Rhombus. *Figura est quadrilatera, cum obliquis angulis. eâ uti creduntur maleficæ mulieres ad Lunam deducendam.* Martial. 9. Thessalico Lunam deducere rhombo.

S

Algida semper hiems, non est quòd carmina scribas:
[5] Littus aras, mulges hircos, & perfodis Isthmum.
Perpetuo gravis exercet Vulcanus ut Ætnam
Turbine, sic multo Parnassus Apolline fervet:
Frondeus ardet apex, & amico semper in igne est.
Queis hebetat crassa æthereum pituita calorem,
Oderunt, totoque jubent absistere luco
Pierides; sacrumue ausos conscendere montem,
Ultra [6] Virginiam, glaciales & Gronelandos,
Furcillis abigunt. tu sanus crede [7] Magistro
Pellæi Juvenis. Motâ sine mente, levisque
Venâ insaniolæ, nullis præstantibus esse
Contigit ingeniis. oculis nisi luceat acris
Fax animi, audacem tollat nisi [8] Pegasis ala,
Ingenii vis altivolans nisi traxerit ultra
Scorpion, & [9] Cancrum; Nesseo denique clausus
Ni furere incipias tanquam superante [10] veneno,

5 Arare littus, mulgere hircum, perfodere Isthmum, *est operam ludere*. Plin. l. 4. c. 4. *Author est, Demetrium Regem, Dictatorem Cæsarem, & Domitium Neronem, adortos perfodere Isthmum Corinthiacum, ut longum maris ambitum circa Peninsulam Peloponnesi navibus adimerent, frustrata omnes spe ab incœpto destitisse.*

6 *Virginia, Provincia est Americæ Septentrionalis. Gronelandia, seu regio viridis, pars est amplissima terræ Arcticæ, non satis cognita. Oram littoralem Norvegi & Dani tenuerunt. sed postea, intermissâ navigatione, nihil inde satis compertum habuimus.*

7 *Aristotelis, qui Alexandri Macedonis fuit Magister, luculenta est sententia: nullum esse magnum ingenium sine mistura dementiæ. De melancholia passim exponitur.*

8 *Pegasis. Patronym. fæminin.*

9 *Signa Cœlestia.*

10 *Nessi Centauri vestem, sibi à Deianira missam cum in-*

Appulus aut atro quem [1] stellio dente momordit;
Actum est; correpti sapiat quod pectoris æstum,
Extundes nihil, & Phœbi sufflamine dignum.
Impetus ille, vigorque animi quem deficit, haud se
Tollet humo segni; fatuis licet usque fatiget
Calliopen precibus, clametque ad sidera, quantùm
[2] Vertice qui summo latâ cuneata patellâ,
Huc illuc pyra circumfert, fornace relictâ,
Vulcano Bacchoque calens; &, gutture tento,
Lauta soporatam findit post prandia Romam.

Quod moneo demum paucis sic accipe, ne te
Longiùs abducam. [3] media tu fronte galerum
Cum fixum teneas, quæris non anxius illum,

duisset Hercules, occulto ejusdem veneno actus in rabiem, sibi mortem conscivit in Oeta monte.

1 Stellio. *animal venenum morsu instillans, lacerto simile, dorso picturato & quasi stellato, unde Ethymon. in Apulia præsertim demorsos homines agere in rabiem putatur. sunt autem qui Appula animalcula homines efferantia, quæ ab Urbe Tarento vocantur* Tarantole, *neutiquam stelliones, sive lacertulas quascunque esse judicant, sed longè diversum animal ex genere araneorum.*

2 *Vernæ furnorum, primis horis pomeridianis per æstatem, divendere solent per Urbem pyra recenter cocta, quæ imposita latiori patinâ æneâ gestant in capite. Ex his unus est vocalissimus, & incondito quodam clamore ad suam mercem invitat emptores, tempore sane perincommodo, quo nimirum cives pomeridianum somnum capere incipiunt.*

3 *Rogat Ponticum, num illi aliquando contingat ita è domo prodire, ut altero quidem pede calceum, altero verò crepidam ferat? num soleat galerum, quem gestat in capite, à famulo petere? num servo aliquid petenti, respondeat alia omnia, cantillare aliquid incipiens, quæque ad rem non pertineant? A quibus cum se alienum respondeat Ponticus, concludit Poeta,*

Nec petis à puero? [4] Rectè. [5] Nil demoror. Urbem
Dum lustras, patriis digressus sedibus, hæret
Pes tibi calceolo dexter, sed laxior alter (unguẽ)
Non natat in crepidâ? [6] Hoc etiam rectè. [7] Omnia ad
Hoc quoque sed memora. librum cum poscit amicus,
Cum famulus quatuor, dimensa salaria, nummos,
Tu non respondes, [8] *Quis te mihi casus ademit*
Pyrame?, Democriti tanquam [9] Intermundia raptâ
Mente colens? [10] Nugæ. [1] Nugæ? tu maximus ille es
Nugator, qui composito Parnassia credas
Sacra animo peragi; tendit quò mascula solùm
Nempe melancholia, & nitidi vesicula fellis.
Incaluisse putas quanto tu numine Phœbi
Virgilium, medios cum diceret inter Achivos,
[2] *Arma amens capio, nec sat rationis in armis?*

ipsum non esse aptum studiis Poeticis, quæ commotiorem expetunt mentem, & ab aliis rebus abstractam.

4 *Ponticus respondet.*

5 *Iterum Poeta loquitur.*

6 *Iterum Ponticus.*

7 *Resumit Poeta.*

8 Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit? *Versus est Ovidii Metam, 4. quo Thisbe Pyramum deflet extinctum. Ponitur autem hìc pro quolibet exemplo, ad exprimendam eorum consuetudinem, qui nihil advertentes quid quispiam eos rogitat, pro responsione, abalienatâ à sensibus mente quod cogitant, proferre solent.*

9 *Democritus, & Epicurus infinitos esse mundos censuerunt, & inter eos vastissima inania spatia (quę* intermundia *dicuntur) ubi atomi volitantes novos subinde mundos conglutinarent.* Cicer. 1. de natur. Deor. tanquam modò è Deorum concilio, & Epicuri intermundiis descendisset.

10 *Ponticus respondet cum aliqua indignatione, & fastidio.*

1 *Poeta subjicit seriò.*

2 *Versus est Virgilii* Æneid. 2.

[3] Papinius, noster popularis, ephippia pressit,
Pegase, quo tua non equidem ferventior ullus,
Cum fumat, patrio non degener ipse Vesevo,
Tunc ciet horrisonos, ceu rauca tonitrua, versus;
Oedipodæ geminos oculos tunc ille [4] revellit;
Tunc pavidæ metuunt Capaneũ consurgere [5] Thebæ.
Bile tumet, temeto saturam attollitque lagenam,
Cum pulchram Lalagen cantillat Horatius; & cum
[6] *Pastor cum traheret* ... sublimi carmine dicit,
Assidet ad testam [7] Torquato Consule natam.
Hos Deus ille, Deæque solent audire vocatæ:
His lauri faciles adrepunt: consecrat horum
Lucidus ære [8] Typus servanda volumina. Sudat
[9] Amstela, Lugdunum, Basilea, Lutetia; certant
[10] Plantinus, Jolitus, Gryphus, Valgrisius, Aldus,
Ut claros cudant nitidè, nectantque libellos:

3 *Papinius Statius*, *Neapolitanus*. *ideo* popularem suum *dicit*.

4 *Id est; tunc narrat, quemadmodum oculos sibi excluserit Oedipus*. *Vide* Theb. l. 1.

5 *Vide* Theb. l. 11.

6 *Initium est Odes Horatianæ* l. 1. 15.

7 *L. Manlio Torquato*. Horat. l. 3. Od. 21. O nata mecum Consule Manlio. testam, *dolium*, *sive amphoram vini intellige*.

8 Typus. *Ars Typographica*.

9 *Amstelodamum* (*quæ etiam Amstela dicitur*) *& quas subinde numerat civitates*, *clarissimæ sunt Operis & formis typographicis*.

10 *Officina Plantiniana ad artis Typographicæ miraculum effloruit Antuerpiæ*, *ut testantur volumina edita*, *summâ formarum elegantiâ. Gabriel Jolitus*, *Sebastianus Gryphus*, *Vincentius Valgrisius*, *Aldus Manutius*, *Typographi præstantissimi*.

Magnum opus, atque tuis dignum, [1] Germania, curis:
Cumæam miror quod non vidisse [2] Sibyllam,
Cum responsa daret diffutis frondibus, & quas
Quælibet assultu tenui disperderet aura.
Quis furor, insanis oracula perdere ventis?
[3] Hospitis Iliaci popliti neque parcere fesso
Tot stadia emensi, & sublato patre gementis?
Tantus eratne labos accersere [4] Floradillum,
Fatiferas lento assueret qui glutine frondes?
Sed neque vitifero prætexta [5] Colonia Rheno,
Nec Franequera tuos, nec solers Lipsia versus

1 *Satis constat, Typhographiam Germanorum fuisse inventum. sive artis usum primus monstrarit Argentinæ* anno 1440. *Joannes Guttembergius, sive Moguntiæ* anno 1452. *Joannes Faustius.*

2 *Jocosè, & ex ingenio Satyrico queritur cum Sibylla Cumæa, quòd Typographiæ commoda non prænoscens, usumque nectendi glutino chartas librorum, oracula disjunctis frondibus legenda proponeret, non levi adeuntium incommodo. cum autem addit, Æneæ, sublato humeris patre, & tot itineribus fesso incommodum fuisse curvato ad terram corpore, perlegere Sibyllinas frondes, ante ostium speluncæ digestas; ne dubita, Poetam non fuisse nescium, Sibyllæ responsionem Æneam non ex conscriptis foliis, sed ex ipsius hausisse sermone. non itaque, quod factum est, Author exponit; sed paratam Sibyllam ostendit cum Ænea agere more usitato; nisi, ut eidem voce præsagia ferret, altior illam fati vis adegisset.*

3 *Æneæ Hospitis.*

4 *Floradillus, librorum compactor, Romæ notus.*

5 *Colonia Agrippina, Urbs prænobilis in Germania, cum Archiepiscopatu, & titulo Septemviri Augustalis, Typographias habet celebres. item Franequera, Urbs Frisiæ Occidentalis; Lipsia, celebre Emporium Germaniæ in Misnia. utrobique insignes Typographiæ.*

Subjiciet prælo: proment [6] muſcaria flabra
Quos ſolùm, craſsâque dabunt ridenda papyro.
Quidquid id eſt, lucro ſapiens appone: protervis
Eſt aliquid muſcis metui; pulſuque frequenti
Frangere Sextiles [7] glaciatis verſibus Idus.
   Commotâ dixi cum mente caleſcere Vates,
Et multo captos afflari numine, nolim
Iſta ſiniſtrorſum accipias; ut protinus illos
[8] A prora ad puppim, veluti proverbia dicunt,
Inſanire putes: [9] Tonſori ut contigit olim,
Præbuit exemplum qui ſe memorabile, magni
Intempeſtivos quærit dum vatis honores.
   Quà fera Parrhaſiam [10] Norvegia ſurgit ad Arctō,
Tonſor erat, primùm rudis inqueperitus in arte:
Articulis manus ægra trementibus, aſpera tactu,
Et qualem circum tua guttura ludere nolles.
Plumbeus at magis ingenio, qui credere poſſet

6 *In flabellis, quæ, æſtivo calori muſciſque depellendis, ex bacillo & craſſiori charta coagmentantur, apponi ſolent ex utraque fronte Italicæ cantiunculæ, nibilo minus plerumque rudes & craſſæ, quàm charta ipſa flabelli.*

7 *Calorem menſis Auguſti.* glaciatis verſibus. *frigidis ſcilicet & inſulſis.*

8 A prora ad puppim. *ex omni parte. ab initio ad finem.*

9 *Ægidius Menagius, Scriptor illuſtris, & ornamentum Gallici Regni, Epicum Carmen habet de quodam Gargilio, qui cum inaudiſſet Poetas prodire, qui Caſtalii fontis aquas haurirent, nullâ morâ interpoſitâ, ad Phocidem eâ causâ iter direxit. hanc hiſtoriolam, ſeu veriùs fabellam, multis auctam laciniis Poeta narrat. eandem non paucis in locis permutare juſtis de cauſis neceſſe habuit. Vide* Menag. primo ex Latinis Carminibus ab eodem editis.

10 *Norvegia, Plinio* Nerigos, *regio Scandinaviæ, ſilvis aſpera.*

Ducere Delphines ſtivam, volitare Elephantos,
Et quidquid blaterat vapidis [1] Ancroia chartis.
Perſtrepit ut variis tonſtrina loquacula nugis,
Audierat claros [2] numerò prodire Poetas,
Caſtalio de fonte ſacros quicumque liquores
Sorbillant. Delphis ſententia certior illâ
Venerit ut nunquam; famæ prurigine, dulci
Illecebraque ferox, divertere protinus illuc
Inſtituit, poſuit celeres [3] ubi Pegaſus alas;
Scilicet ut titulum & nomen potabile Vatis
Immittat venis hauſtu non amplius uno.
Ergo pecuniolas unde unde extricat, amicis
Indictoque vale, calcaria quadrupedanti
Subdit equo, & longâ fertur regione viarum.
Dic mihi Muſa, virum [4] πολύτροπον, ὅς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη· tot ſola terrarum calcavit & Urbes,
Mulio quot vidit non lecticarius ullus.
[5] Lemovios, Cimbros, Cattoſque, & ſole carentes
Lappones à tergo, Scritofinnoſque relinquit.

1 *Notum eſt Poema Italicum, in quo miri armorum amorumque eventus narrantur, ſed languido ſtylo parumque felici.* la Regina Ancroia.

2 Numerò, *adverbium pro* citò, *ſæpe uſurpatum à Plauto.*

3 *Ad Bœotiam, ubi Parnaſſus, & Helicon montes, & à Pegaſi ungula elicitus fons, Poetarum ingeniis decantatus.*

4 Dic mihi, Muſa, virum verſutum qui multis viarum erroribus agitatus eſt. *tranſtulit Poeta ad Tonſoris ſui itinera Homericæ Odyſſeæ initium.*

5 Lemovios, *cave intelligas Lemovicenſes, Galliæ Aquitanicæ populos, qui nihil pertinent ad iter inſtitutum à Tonſore. ſed Germaniæ populos notat, prope Scandinaviam.* Livonia vulgo. Cimbri, *quæ loca hodie Daniæ ſunt & finitima, colebant.* Catti, *hodie Haſſiani, Turingii, & Brunſuvicenſes.* Lappones Scritofinni, *Scandinaviæ populi.*

Horrentem silvis [6] Albim, Rhenumque bicornem
Prælegit, & lætum Baccheo nectare Nicrum.
Post [7] modicis Istrum labentem trajicit undis,
Nondum ausum terrere tuas, [8] Strigonia, turres,
Et [9] Græcam tumidis impellere cornibus Albam.
Itur ad Helvetios. atque [10] Alpes rupit aceto;
Amphora pendebat nam quæ post terga, caballi
Succussu cecidit crebro, crepuitque; vieto
Largiter & fusæ cautes maduere Lyæo.
Ille autem; Ambrosiæ, dixit, fidissima custos,
Amphora, longarum solamen dulce viarum,
[1] Rhætorum bibulis inhonora [2] jacebis arenis.
Sic fatur lacrimans: & lætas appulit oras
Italiæ. hìc Veneto consistens littore pictum
Conducit lembum; [3] terris jactatus & alto

6 *Albis, Rhenus, Germaniæ fluvii. quorum postremus in limite Gheldriæ, ad Schenchiam arcem in duo brachia scinditur. hinc* bicornem *vocat.* Nicer, *qui &* Necarus, *fluvius in Rhenum fluens, vino clarus in Germania laudatissimo.*

7 *Danubium trajicit prope fontes.*

8 *Danubius, auctior aquis factus, Strigoniam alluit in Hungaria.*

9 *Idem in procursu etiam auctior* Albam Græcam, *sive* Taurunum (Belgrado) *in Rascia præterfluit.*

10 *Quod Juvenalis de Annibale transmittente Alpes dixit* Sat. 10. Diduxit scopulos, & montem rupit aceto, *ludicrè transfert ad Tonsorem. quemadmodum autem Alpes aceto ruperit, statim leges.*

1 Rheti. *Alpes colunt.* Grigioni.

2 *Virgilius deflens mortem Palinuri, hoc versu claudit* l. 5. Æne. Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena. *Idem sic postea incipit* l. 6. Sic fatur lacrimans. *quæ per jocum hìc detorquentur ad casum lagenæ viatoriæ.*

3 *Quod de Ænea dixit* Virgil. l. 1. Æneid.

Ut fieret. procul Illyricis [4] freta consita terris;
Alcinoique procul, si quidquam credis Homero;
[5] Mellitæ ficus, & connubialia sęvi
Regna [6] Neoptolemi, & [7] Leucas scopulosa recedũt.
Inde procellosas per [8] Echinadas, & Naupacti
Nunc etiam Austriacos testantia saxa triumphos,
Radit iter liquidum. Quid multis? Castore dextro,
[9] Phocidos optatis hìc demum allabitur oris.
Ut stetit uncta abies, saltanti concolor Urso,
Desiluit transtris: non sese continet intra
Pelliculam turgens, nec fervida vota [10] coercet:
Compellatque ultro, qui se tulit obvius illi
Fortè, Senem. Hospitii si numina sancta vereris,
Da, Pater, auxilium. longis erroribus actus,
Advenio supplex: mediâ me siste [1] scatebrâ,
Castaliæ sacro de pumice largifluus fons

4 *Mare Dalmaticum crebris insulis disseminatum.*

5 *Sensus est. præterit Corcyram, Jonii maris insulam, quæ & Phæacia Poetis (Corfù) ubi olim Alcinous Rex Ulyssem convivio excepit.* Mellitæ ficus. *intellige dulces lautasque epulas Alcinoi.*

6 *Pyrrhi. qui Regnum Epiri reliquit Andromachæ conjugi.*

7 *Leucas. Insula Epiro adjacens.* Santa Maura.

8 *Echinades, Insulæ ad sinum Corinthiacum. Naupactus, Urbs ad eundem sinum, celebris memorabili victoria navali, Duce Joanne Austriaco, sub auspiciis Sanctissimi Pontificis Pii V.*

9 Phocis, *regio est prope Parnassum, & fontem Castalium.*

10 *Exprimit consuetudinem eorum, qui, quod volunt, nimis volunt, morasque abrumpunt omnes, ut illico voti compotens fiant.*

1 Scatebra, *ebullitio est aquę surgentis.* Virg. Georg. 1. scatebrisque arentia temperat arva.

Quà salit, &, tenero ceu pastas rore cicadas,
Unda creat subitos, nam certa est fama, Poetas.
Deliri capitis nimirum protinus ægrum
Ille [2] paroxismum, mentisque [3] volumina sensit.
Hospitis at casum, ut decuit, miseratus acerbum,
Non procul est, inquit, fons [4] rhythmicus. Ubere largo
Sed nostris qui fluxit avis, nunc stillat [5] avarus
Guttatim, à multis, causam non quærimus, annis.
Ergo, præproperum ne te mora tanta fatiget,
Largiùs optatos liceatque haurire liquores,
Adducam urceolum: potes hìc subsistere paulum;
Ociùs ac dixi, non est via longa, redibo.
Forte domi Senior medicos servabat ad usus
Vim multam [6] ellebori, advectam florentibus arvis
Anticyræ, Ægeo in magno; [7] diapasma cerebris
Quo non curandis memorant præsentius ullum.
Dilutis properè succis postquam imbuit urnam,

2 Paroxismus. *Latinè* concitatio.

3 Mentis volumina, *idest vertiginem, hìc insaniam*. Ovid. Metam. 2. sideraque alta trahit, celerique volumine vertit.

4 *Poetas faciens, qui rhythmos, idest numeros amant, & modulatum*.

5 *Dum fingit, Fontem Castalium largiter olim fluxisse, in præsens parcè, & guttatim manare, non contendit præsens taxare sæculum, & suam adimere lauream hujus ævi Poetis. Sed exprimit Senis, qui loquitur, ingenium. solent autem senes, laudatores temporis acti, antiquiora laudibus efferre, fastidire præsentia*.

6 Elleborum. *herbæ genus, quæ in Anticyra, Ægei maris insulâ, nascitur. vim habet ad tollenda mentis & capitis vitia. unde elleboro indigere dicuntur, qui parum animo constant*. Horat. serm. 2. 3. danda est ellebori multò pars maxima avaris.

7 Diapasma. *medicamentum è siccis pulveribus conflatum*.

Occultans imo medicatos vase liquores,
Norvegum repetit: [8] Res est in cardine, clamat;
Commonstratque simul [9] fontem, qui proximus antri
Exesi topho, & musco stillante fluebat.
Hausit aquas postquam saturum jam fictile; Donis,
Hem, fruere optatis, dixit; bibe gutture firmo,
Et raptim; nam [10] multa cadunt os inter, & offam.
Ille, scyphum dextrâ attollens, sic ora resolvit.
Jamque dies, ni fallor, adest, quæ candida nobis
Semper erit; mihi cum poterit tonstrina valere
Cum [1] cultris; habeatque suum Norvegia Vatem;
Gallia [2] Ronsardos, tellus Hispana [3] Quevedos,
Ora [4] Camoesios ne solùm Lusia jactet.
Hæc fatus latices prælargos ([5] jugera septem

8 Res in cardine. *res est in articulo summæ opportunitatis. ita exponit* Servius *illud* Virg. Ænei.1. haud tanto cessabit cardine rerum.

9 *Non certè Castalium: sed alium quemcumque ibi proximum.*

10 Multa cadere solent inter os & offam. *adagium est, quod ex Sulpitio Apollinari Grammatico refert* Gell.l.13.c.17. *monemur autem adagio, nihil tam certò sperari, aut ita proximum esse, quod non repentinus aliquis casus possit intervertere. Simili paræmia dicitur.* multa cadunt inter calicem, supremaque labra. multa cadunt inter manum, & mentum. Offam, *cibum intellige.*

1 *Gratulatur sibi, plauditque stolidè, quòd nobiliorem Poetæ artem adeptus, tonstrinæ possit nuncium remittere.*

2 *Petrus Ronsardus, Gallicorum Poetarum Princeps.*

3 *Franciscus Quevedo, insignis Poeta Hispanus.*

4 *Aloisius de Camoés, clarissimus Poeta Lusitanus, cujus legitur Poema nobilissimum.* Os Lusiadas.

5 *Hyperbolicè hoc dictum, ad potionem tonsoris illustrandam.*

Scilicet ellebori) [6] œſophagum demittit ad imum,
Quod bene ſit, multùmque bonus fortunet Apollo.
Ilia [7] veratrum interea, penituſque pererrat
Oſſa ſinuſque omnes. cedunt migrantque ſiniſtræ
Senſim [8] intemperiæ; morboſus deficit error
Paulatim; antiquo donec redeunte ſereno,
Conſidunt nebulæ, mens ægra in ſeque recedit.
[9] Bœotum cernens, aderat cui more Pelaſgo
Mento barba fluens, & pectora lata tenebat;
Heus pueri, clamat, [10] mappas adducite, cultros,
Saponem in primis, quæ mittit Media, [1] pomis
Rite vaporatum, [2] matutiniſque liguſtris;
Nemon' adeſt? etiam ceſſant? ſimul ipſe ruebat
[3] Ogygiam in barbam. Bona verba, vir optime, dixit

6 Oeſophagus. *cibi vehiculum. fiſtula, quæ ab ore ad ventriculum protenſa eòdem cibos potumque tranſmittit.*

7 Veratrum. *idem quod Elleborum.*

8 Intemperiæ, *Deæ ſunt habitæ, quæ animis furorem immitterent.* Plaut. Amph. Dii voſtram fidem; quæ intemperiæ noſtram agunt familiam. Voſſius *Furias eſſe cenſet. eaſdem ſacrificio placari, avertique jubet* Cato de re Ruſt. cap. 141.

9 *Senem, à quo mentis ſanitati eſt redditus.*

10 *Qui ad inſaniam acti ſunt, ubi primum mentem recipiunt, de iis primùm cogitare & loqui ſolent, quibus diuturna antea exercitatione inſueverant. hinc tonſorem Norvegum inducit tonſtrinæ famulos vocantem, & quoniam præſens illi aderat cum prolixa barba ſenex Bœotus, imperat famulis, ut eidem barbam corradant: cumque miniſter tonſtrinæ nullus præſtò adeſſet, ipſe occupat, manumque injicit in Senis barbam.*

1 *Malis citreis.*

2 *Liguſtris, ſummo mane lectis.*

3 *Barbam Ogygiam, id eſt ſenis Bœoti. Bœotia dicta eſt etiam Ogygia, ab Ogyge Rege Thebanorum.*

Subridens senior, melioraque tempora nactus,
Et morbi seriem, epotæ [4] amuletaque narrat
Anticyræ. excussus longo velut ille veterno,
Attonitos oculos circumtulit, ingemit altùm.
Jam neque Castalios latices: nec Thespia rura
Cogitat, & totam [5] destertuit Hippocrenen.
Ergo, pererrato terrarum margine, mores
Atque iterum varios hominum, furnosque remensus,
Vatis Apollinei si non sortitus honorem,
Non malus ad patrios rediit Geometra penates.
Fabula quò spectat? tecū est mihi, Pontice, sermo.
Dixi equidem; furiis agitatos inter Orestes,
Et Phœbi Socios, æquo pro limite, [6] murum
Sinensem loco. non facimus [7] Corybanta Poetam.
Aonias saliente manu percurrere chordas,
Est aliud, quàm Curetum pulsare lebetes,
Stridunt æra tuis & quæ, Berecynthia, Sacris.
Non timidè; sed nec temere. malesana cupido
Scribendi carmen cunctis resonabile sæclis,
Ambitio præceps, primæque ferocia laudis
Cogit ad Anticyram multos migrare [9] Poetas.

4 Amuletum, *ab amoliendo dictum, remedium dicitur quodcumque contra veneficia.*

5 Destercuit. *desiit somniare* Pers. Sat. 6. Postquam destercuit esse Meonides.

6 *Murus incredibili longitudine Sinenses à majori Scythia dividit, arcendis Scytharum incursionibus in Regnum Sinicum.*

7 Corybantes. *Berecynthiæ Sacerdotes, cymbala pulsabant cum jactatione capitum in Deæ sacris.*

8 *Curetes. Cretæ populi, qui strepitu incondito ænea vasa pulsantes Infantem Jovem à Saturni genitoris ira texerunt.*

9 *Multos Poetas insanire cogit; ut postea necesse illis sit Anticyram petere, ut elleboro curentur.*



SATYRA XI.

Ejusdem Argumenti. Ad eundem Ponticum.

ARGUMENTUM.

QUi versus faciunt, multos esse; Poetas præstantes, admodum raros. Poetæ sibi invicem plerumque infesti, & morsibus Criticorum obnoxii. Franciscus Philelphus Timothei Grammatistæ barbam convellit. Epistolas nuncupatorias, & Præfationes ad Lectorem Poetas malos minimùm defendere à Criticis. Mirus eventus de quodam qui non oculis, sed naso cernebat. Ars Critica utilis, ac sæpe necessaria. Minimè lucrosam esse Poeticam facultatem.

RAra fuit, ceu [1] Solis avis, divinaque Vates
Res olim; pretium rebus cum poneret æquis

1 Phœnix, *Solis avis dicitur; quia ad Orientem solem conversus pyram succendit.*

Lancibus, & Rectum melior discerneret ætas.
Nunc venalis honos citharæ, venalia plectra,
Cum Sociis nunc ipse [2] novem venalis Apollo.
Nam veluti [3] modius, chœnix, hemina, quadrantal
Constituunt ciceris certos & farris acervos,
Sic pede bisseno satis est concludere versum,
Et rude sublatis digitis [4] expendere carmen.
Tempore quo [5] fulvos petiit per cærula Colchos
Græcia, crediderim scripsisse poëmata multos;
Unus in ora virûm sed venit Thracius Orpheus;
Fama silens reliquos obscura nocte recondit.
Vulgandum populis vatem non illa putavit,
Cujus non modulos sequerentur flumina primos,
Et qui post terga arrectos non duceret ursos.
Præterea solum lætis Amphiona Thebis
Tune putas pulsasse lyram? tornatilis illic
Copia nulla fuit buxi, sonitumque cientis
Funiculi, ut citharas facerent, doctoque ferirent
Ungue fides? [6] Morycho dementior & [7] Damasippo

2 *Novem Musis*.

3 Modius, chœnix, quadrantal, *mensuræ sunt aridorum: hemina tum aridorum, tum liquidorum*. Chœnix, *ut notat Budæus, semodius erat. Hinc symbolum illud Pythagoræ adscriptum*: Chœnici ne insideas. *quo monemur, acuendam semper esse industriam nec super parato cibo per inertiam quiescendum*.

4 *Digitis numerare pedes versiculorum. metiri versus*.

5 Fulvos *dicit Colchos, quia apud eos erat ovis aurei velleris, ad quod obtinendum illuc navigarunt Argonautæ*.

6 *Morychum à Siculis Bacchum dici, Author est Zenodotus. Bacchus autem ubique temulentus, & parum sanus à Poetis inducitur. hinc proverbium*: Morycho stultior.

7 *Damasippus, homo notæ levitatis; & minimùm sanæ*

Ni

Ni fueris, nunquam credes. oblivia condunt
Debita sed reliquos; meruitque emergere solùm
Qui [8] patrios potuit muros attollere, quamvis
Nil calci, [9] effossæque nihil deberet arenæ.
Postremò sedes mecum lustrare [10] Piorum,
Pontice, ne pigeat, Phrygii gelidasque per herbas
Ire Ducis comites; qui, nondum [1] Chile reperto,
Peruviæque jugis gazæ, comitante Sibylla,
Prægnantes auro virgas in Tartara ducit,
[2] Junoni Stygiæ non inficiabile pignus.
Tu modò, Smyrnææ, [3] Cantor, qui nomina famæ
Antevolas, decus, & magnæ lux inclita Romæ,
Dic age, cum vatum surgat numerosa propago,
[4] Corbulo cum versus faciat, Planella, Camurrus,
Cur, nemore in sacro, [5] solus tibi nomine dictus

mentis apud Horatium.

8 *Amphion Thebanus. qui cantu, sonituque patriæ muros ædificavit; ideoque dicit, nihil eum in ea molitione debuisse calci, & arenæ fossitiæ.*

9 *Arena fossilis, quâ calce mistâ muri coagmentantur.*

10 *Campos Elysios. sequentium carminum sententia est. libet comitari Æneam, Elysiorum secreta lustrantem; quem, mirum est, virgam, sive ramum aureum ad Inferos duxisse, quo tempore detectus non erat orbis Americanus, unde è solido auro virgæ deferuntur in Europam.*

1 *Chiles, sive Chila, Provincia Americæ Meridionalis prope Regnum Peruviæ.*

2 *Proserpinæ.*

3 *Virgilium describit.* Smyrnææ nomina famæ. *Homerum, quem Smyrnæ in Jonia natum nonnulli dicunt.*

4 Corbulo, & Camurrus, *Poetarum nullius pretii conficta nomina.* Planella. *Poeta extemporaneus triobolaris olim Romæ notus.*

5 *Musæus, Poeta antiquissimus Atheniensis. Deorum Genealogiam versibus tradidisse fertur. eum Virgilius & Or-*

Musæus? numerans idem nam [6] fortia bello
Pectora, silva tegit quotquot sub nocte silenti
Frondea, tres Antenoridas, Tydeumque recenses,
Adrastum,Glaucumq;Medontaque,Thersilochumq;
Pagina longa Duces Phrygios, narratque Pelasgos.
Cum ventum ad Vates, Musæus dicitur unus;
Unus habet Vatis titulos ex agmine tanto;
Turba nec extolli, nec digna est cætera nosci.
Laudator nimiùm parcus, dum talia fingis,
O Maro, suspicione vacas non ipse sinistrâ.
Invidiâ nolim, vel primæ laudis amore
Hoc abs te factum accipiat, [7] nasutaque damnet
Posteritas. [8] Moneas alios: me turba Quiritum,
[9] Suffenis pridem, [10] Baviis, & vendita Mævis,
Permoveat? numerum curem? populi [1] parasitus

pheum, inter Poetas Elysii nemoris solos nominat. Author Orpheum silentio præterit; nam Virgilius Musæum præcipuis laudibus ornat, eumque solùm cum Ænea loquentem inducit.

6 *Duces Trojani, Thebanique belli à Virgilio commemorati, cum Æneas virorum fortium sedes in Elysiis lustraret. Vide* ibidem.

7 *Non desunt, apud quos minus commodè audiat Virgilius eo nomine, quòd Poetarum locum describens* 6. Ænei. *solùm Musæum & Orpheum nominaverit; nec meminerit Homeri, Theocriti, Hesiodi, quorum æmulatione fortasse aliqua tangi videri potuit.*

8 *Virgilius respondet.*

9 *Celebre est apud Catullum epigramma de Suffeno, qui cum Poetarum esset ineptissimus, præter modum sibi placebat ipse.*

10 *Bavius, & Mævius, pessimi Poetarum, Virgilio & Horatio infesti.* Virg. Ecl. 3. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi. Mævis *dixit pro* Mæviis, *carminis necessitate compulsus.*

1 Parasiti *dicuntur, qui mensas divitum captant, & ad*

Et fiam? si collaudet mea carmina [2] Cæsar,
Tresve alii aut quatuor, satis est: nihil amplius oro
[3] Mnemosynes natasque Jovis. Sed dicere pergam,
Præteritis aliis cantoribus, unus in arvis
Elysiis dictus mihi cur Musæus. avari
Ad Ditis regnum, scribunt qui carmina, in horas
Descendunt multi, titulos & vera Poetæ
Nomina promeritos longum vix parturit ævum:
Ætatem, atque ultra cessatur sæpius. Audis,
Pontice? longa sacrum vix sudant sæcula Vatem.
Sermonis Latij Charites Veneresque pudicas,
Scribendique vetus robur, normamque loquendi
Ex quo [4] Trajanus moriens secum abstulit, urnâ
Et veterem Patrum linguam tumulavit eâdem,
Carminis egregii artifices, doctosque canendi
Vix demum invenies sæclis labentibus ullos.
Itur ad [5] Arcadium: Musis dilectus Alumnus,
Principe quo, minimùm salebroso carmine scripsit

horum voluntatem omnia loquuntur & faciunt, ventris gratiâ. pro adulatore parasitus hîc ponitur, & populi plausum aucupante.

2 *Octavianus Augustus, Virgilii studiosissimus.*

3 *Musas, Jovis & Mnemosynes filias.* Mnemosyne. *Latinè* Memoria. *Ideoque Poetæ Musarum auxilium implorant, quia, multis in mente rebus congestis, ad eas ordine expediendas, memoriâ indigent. imo ubi in decursu Poematis locus incidat impeditior, & multa rerum congerie complicatus (ut sunt census militares, quos* armilustria *vocant) Musarum iterum præsidium expetunt; quòd Memoriæ filiæ, omnium sint memores. Unde sapienter, ut semper,* Virgilius l.7. *dicit.* Et meministis enim, Divæ, & memorare potestis.

4 *Trajani Cæsaris tempore, postremi floruisse censentur linguæ Latinæ Scriptores, quorum authoritas posteris in pretio est.*

5 *Ad tempora Arcadii & Honorii Cæsarum.*

[6] *Inferni raptoris equos*. Hinc rursus oportet
Sæcula trajicias, varios solisque recursus,
Sublimem donec pariat Florentia Vatem,
Cui Capitolinâ sertum dedit Africa [7] lauro,
[8] Lauraque divini nomenque decusque Poetæ.
Hinc iterum ambages longas pertexere fas est,
Et diuturna brevi transmittere tempora saltu,
Pegasei insignes amor est si fontis olores
Quærere. [9] Syncerum, Bassum, Bembumque, Casamq;
Ostendet Musis tibi cum felicior ætas,
[10] Flaminium cum Põtano, Cottamque, Rotamque,
Naugeri, Socio te cum Balthassare; felix
Quemque dedit Verona [1] Senem, cui dexter Apollo

6 *Describit Poetam Claudianum, qui sub Honorio & Arcadio floruit, cujus Epici Carminis de raptu Proserpinæ illud est initium.* Inferni raptoris equos. *Eundem minimè salebrosum dicit; quia modulatus & numeri nimiùm est fortasse studiosus; unde Synalæphe, sive cæsurâ vix aliquando utitur.*

7 *Describit Franciscum Petrarcam, qui in laudem Scipionis Latinè scripsit Poema Epicum, hoc titulo,* Africa. *ejus Poematis gratiâ, tanquam linguæ Latinæ restitutor, coronam Romæ in Capitolio publicè accepit. Scias, Lector, Authorem non esse nescium, disceptari à multis de patria Francisci Petrarcæ; aliis Florentiam eidem, aliis Aretium pro patria tribuentibus. cum itaque Florentinum illum Author dicit, non tanquam judex in hac causa quidquam decernit; sed, quod Poetæ faciunt, vulgatam magis sententiam sequitur.*

8 *Puella Avenionensis, Etruscis Petrarcæ carminibus nusquam non nota.*

9 *Actium Syncerum Sanazarum, Angelum Bassum,* Politianum *ex patria dictum, Petrum Bembum, Joannem Casam.*

10 *Marcum Antonium Flaminium, Joannem Jovianum Pontanum, Joannem Cottam, Bernardinum Rotam, Andream Naugerium, Balthassarem Castilioneum.*

1 *Describit Hieronymum Fracastorium Veronensem, Medi-*

Excultosque dedit modulos, artemque medendi.
2 Ad nostros propero. Formis incœpit ahenis
3 Ars nova vulgivagas ex quo procudere merces
Ingenii, immensùm crevere volumina; nunquam
Scribendi scabies pervasit tanta. Sed obstat
Copia magna sibi. non tam feliciter actum
Naturâ est, ut quæ sobolescunt largiter, illis
Sint etiam validæ vires, & robora firma.
Spica frequens levis est, nec porrigit horrea: fœtus
Non multos gignit, quæ magnos educat arbor.
Sed dices forsan. Tot desine verba Poetis
Dicere de Latiis. 4 laurus me Thusca momordit:
Ire juvat, nitido monstrant ubi tramite callem
5 Contilis, Bembus, Victoria, Molza, Giraldus;
Et quotquot traxit sua post vestigia 6 Cantor,
Gallica Tyrrhenis fidibus cui dicta Puella est.
Sed 7 pugiles, isto qui sudant pulvere, longè
Sunt plures: sobolem confertam non satis ullæ
8 Chiliades numerent; populus sunt scilicet. unos
Si memorare libet, quos fecit Comica vates
Fabula, librorum veterum quot credis acervos

cum & Poetam, ætatis suæ nulli secundum.

2 *Ad Poetas nostrorum temporum.*

3 *Typographia.*

4 *Inter Etruscos Poetas numerari cupio.*

5 *Lucas Contilis, Petrus Bembus, Franciscus Maria Molza, Joannes Baptista Giraldus, Italici Poetæ illustres. Victoria Columna, Poetria admirabili ingenio.*

6 *Franciscus Petrarca, qui Etruscis carminibus celebravit Lauram, Puellam Gallicam, Avenionensem scilicet.*

7 *Pugiles, metaphoricè dicit. Poetas Italicos intellige.*

8 Chilias, *Latinè, numerus mille continens.*

Surgere? non illos capiunt Musæa [9] Moraldi.
Ipse [10] Senex Chius, qui claudere credidit omnes
Indicibus septem, longoque volumine, multos
Præteriit. modulo turbam nil obstat eodem
Metiri [1] reliquam, rabies quos ægra canendi,
Frondis Apollineæ macra & mercedula torret:
Sive Duces, & bella tubâ clangente sequuntur;
Seu resonante lyrâ graviora [2] Cupidinis arma,
Telaque, carbonesque canunt, laterique sinistro
Vulnus hians, nullaque necem pietate redemptam.
Obscuram premerent ingrata silentia turbam,
Ipso nota foret nec nomine, naviter illos
Undique quæsitos nisi tu, [3] Marcelle, locares
Selectis abaci loculis; sordentibus umbris
Erueretque pius, traheretque ad lumina vitæ,

9 *Notum est in Urbe Musæum Joannis Antonii Moraldi: in quo spectabilis est ingens copia Comœdiarum Italicè conscriptarum, prælongis loculamentis digesta.*

10 *Leo Allatius, in Chio insula natus. peracri Scriptor ingenio, & singulari eruditione, inter monumenta alia sanè permulta, reliquit Dramaturgiam, sive Elenchum Comœdiarum, quotquot sermone Italico prodierunt, easque cum suis Authoribus, & varietate editionum, septem Indicibus ordinavit.*

1 *Aliorum generum Poetas Italicos, Epicos, Lyricos, &c.*

2 *Indicat Poetas Italicos Lyricos, quibus nullum est frequentius argumentum, quàm de suorum infelicitate amorum, & amicarum duritie conqueri.*

3 *Marcellus Severolus, Romanæ Curiæ Præsul amplissimus, singulari vir eruditione atque doctrina, litterarum verò omnium Virorumque ingenio præstantium longè studiosissimus, Italicorum Scriptorum Bibliothecam selectam, & haud satis scio an in hoc genere ulli secundam, concinnavit. eum Virum Poeta observantiæ, & amicitiæ causa nominat.*

Arcadiæ [4] Marius Custos, lumenque Latinæ.
Præterea, veluti jactis sata dentibus hydri
In sese [5] Cadmæa phalanx, pugnacia primùm
Strinxit tela, suis vix ortaque concidit armis;
In se non aliter, fato cogente sinistro,
Aonidum Comites sua vertunt arma; gravesque
Exercent odiis plusquam civilibus iras.
Conversa hinc videas dulces in bellica nervos
Arma, pares citharas, & [6] plectra minantia plectris.
Liventes pugnant calami, tabemque nocentem
Instillant, cunctis virusque nocentius armis.
Sed neque pro [7] Thebis certant; tot commovet æstus
Nec [8] facies Trojæ populatrix. itur in arma
Sæpius, in partesque ruunt, & longa capessunt
Prælia, ridendis (turpe & miserabile!) causis.
Non semel una ferox incendit Syllaba bellum.
Cui non nota gravis quã vulsit barba [9] Philelphus?

4 *Joannes Marius Crescimbeni, Academiæ Leopoldinæ, & Florentinæ, quam* Furfurariam *dicunt, Socius, Arcadiæ Custos, Italicæ Poeseos Historiam, & in eandem primum Commentariorum Volumen in lucem dedit. Reliqua tam avidè expectantur, quàm eorum, quæ sunt edita, honorificum fuit Eruditorum omnium præclarumque judicium.*

5 *Ab interfecti Draconis dentibus, à Cadmo in terram jactis, prodiit armata militum legio, qui se invicem interfecerunt. Vide* Ovid. Metam. 3.

6 *Innuit Lucani versus, initio Pharsaliæ.* infestisque obvia signis signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

7 *Pro Regno Thebarum ab Eteocle, & Polynice, Oedipi filiis ad internecionem usque certatum est.*

8 *Helenam intelligit.*

9 *Franciscus Philelphus, Græcis Latinisque litteris apprimè doctus, Timothei Grammatistæ Græci barbam convulsit, quam ambo, de unius syllabæ quantitate certantes, mutua sponsione*

Sermonem multos inter dum miſcet amicos,
10 Picenti quædam correpta eſt ſyllaba: contra
Timotheus Græcus ſtetit illi; & , Corrigo , dixit:
Tune ſenex tantus, tanto tu nomine gaudens
Mendosè loqueris? produci ſyllaba nempe
Debuit illa tibi: nunc os oſtendere cuiquam
Miror quod poſſis. Negat alter voce rotundâ
Se quidquam leges contra admiſiſſe loquendi.
Sed cum dicta palam propugnant mordicus; illuc
Denique decurſum eſt. ſtatuit pro pignore barbam
Quiſque ſuam Socio vellendam (longus utrique
Nam barbæ pendebat honos) certamine victus,
Indiciis certis, ſi ſit deprenſus in illo.
Ergo conſulitur metricâ ſuper arte vetuſtis
Ad nos pervenit quantum à Scriptoribus: omnes
Excutiunt loculos; tabulas, monumentaque priſca
Naviter exquirunt; quæque [1] Adverſaria, mures
Quæque arroſerunt [2] Autographa [3] clandeſtini.
Poſtquam tota diu res cognita; docte Philelphe,
Victorem te cauſa facit. diffinditur irâ

oppigneraverant. nullis autem conditionibus adigi potuit Philelphus, ut Grammatici barbæ parceret, licet eidem Timotheus tantum ſolidi auri pondus offerret, quantum eſſe ſuæ barbæ pondus judicaretur. Vide in hoc argumentum Authoris Phaleucium Carm. Tom. 1. pag. 18.

10 *Philelpho. qui in Piceno natus. alii Tollentinatem, alii Anconitanum fuiſſe autumant.*

1 Adverſaria *dicuntur tabellæ, tumultariâ operâ perſcriptæ non ſine lituris. Ethymon eſt ab adverſis paginis, quibus memoriæ rerum adnotantur.*

2 Autographum. *exemplar, authoris manu ſcriptum.* Originale.

3 Clandeſtini. *occulti. clam ingruentes.*

Timotheus. brevior certis eſt ſyllaba ſignis.
Effugii via nulla; liquet [4] palmarius error.
Geſtit Picenus; pexamque evellere barbam
Aggreditur. veteri rogat ille ut parcat Amico:
Verba facit ſurdo. fruſtra communia Sacra
Muſarum implorat; venerandæ injecta ſenectæ
Relligio fruſtra, & cultæ tutela Minervæ.
[5] Involat in barbam. ſaltem hoc [6] efflagitat ille;
Accipere ut ſolidi tantum non abnuat auri,
Pondus onuſque pilis quantum infelicibus eſſet.
Nil agitur. ſpolium menti, quod fœdere pactum eſt,
Expetit indignans, & inexorabilis obſtat.
Ergo Senem, Græcis multùm, multùmque Latinis
Illuſtrem chartis, tota ſpectante corona,
Depilat. heù! fruſtra tot pectine culta per annos,
Silva cadit, decus hircinum, ſacrumque vetuſta
Relligione nemus: nec longum tempus, & omnis
Fluxit honos ſenii; cano quæque hiſpida nimbo
Nuper erat facies, nunc cortice levior [7] Indo,
Admittitque manus, nec tactu hirſuta remordet.
Scriptoris Græci barbam ſic ſyllaba raſit,

4 Palmarium *à palma in bonam partem accipimus*; *à palmo, in deteriorem. error palmaris, ſive palmarius, qui craſſior eſt, & multorum quaſi palmorum.*

5 *Philelphus victor.*

6 Flagitare, *eſt vehementer, & quaſi* inflammato *animo poſtulare*; *ex qua inflammatione videtur omnino duxiſſe ethymon. certe flagitare plus eſſe, quàm poſtulare, diſertis verbis docet* Cicer. Orat. pro Quinctio. tametſi cauſa poſtulat, tamen quia poſtulat, non flagitat, præteribo.

7 *Ebenum intelligit*; *quæ arbor in India naſcitur, & miri eſt levoris*. Virg. Geor. 2. Sola India nigrum fert ebenum.

[8] Garzilio longe meliùs, meliùsque Rubello:
Parnassi quàm tuta parum sint otia, cernis,
Pontice. tempestas [9] Ascræum turbida fontem
Semper agit: videas laureta Heliconia semper
Atque aliquo sacros apices Aquilone moveri.
Quod si nulla pios agitet discordia Vates,
Bellaque detumeant Socialia; si tamen illos
Unam propterea credis tu posse per horam
Pace frui, tutosque dies agitare sub umbra,
Falleris. Ad pugnam & [10] solem [1] censoria turba
Evocat invitos, aliosque resorbet in æstus.
Seu Latiis scribas numeris, sive Itala tendas
Plectra manu, examen subeas, virgasque necesse est.
Ille rudes modulos, inventaque frigida damnat;
Ille leves argutiolas: incultus haberis
[2] Vandalio, Nattæ turgens, obscurus Amillo.
Atque utinam soli [3] artifices, & mentis acumen
Purgatum quibus est, scribendi & longior usus,
Judicium ferrent. gratum, atque optabile multùm
Sic foret, ingenuis calamis aut voce notari.

8 Garzilius, & Rubellus, *nomina sunt illustrium Tonsorum. eorum verò operâ si, Lector, uti expetis, demigrandum tibi est ad mundos Democriti, vel Luciani, ubi illos Poeta somnians cognovit. confictá nimirum sunt Tonsorum nomina.*

9 Ascræum fontem. *Aganippen. ab* Ascra, *qui vicus est Bœotiæ, ad radicem montis Heliconis.*

10 Ad solem vocare. *idem quod, in aciem vocare.* ab umbra ad solem prodire. *ab otio & secessu ad concertationem, & Forum gradum facere.*

1 *Qui Criticen exercent.*

2 *Vandalius, Natta, Amillus. ficta Censorum, sive Criticorum nomina.*

3 *Indicat sententiam veterem.* felicissimæ essent artes, si de illis soli artifices judicarent.

Adderet Aoniis chartis sic [4] lima nitorem,
Authores rabido non scinderet aspera flictu.
Sed contra, Musas odit [5] Libethride turbâ
Rusticior quisquis, credit sibi cuncta licere,
Doctos inque viros jactantiùs explicat ungues.
Rixarum vitent ut multi incommoda, summis,
Quæ lusere, Viris inscribunt. Limine in ipso,
Conspicienda notis cubitalibus, & titulorum
Cum strepitu, grandis præcedit [6] Epistola: tutos
Sic se, ferratâ tanquam sub casside, credunt
Prodire, & pavidos clypeo munire libellos.
[7] *Tangere me noli; sum Cæsaris:* ille solutam
Ire jubet, nullasque sinit pavitare sagittas.
Circuitu ast alius præfatus plurima longo,
[8] Garrit in auriculam Lectoris, & occupat illum

4 *Lima censoria. Judicium Criticorum.*

5 *Libethrii, Thraciæ fuerunt populi, omnis elegantiæ expertes, & bonarum artium rudes. unde ortum adagium* inelegantior Libethriis. *sed iidem postea cultiores facti, Musis etiam Fana condiderunt. Unde &* Virgilius Eclog. 7. *Musas vocat Libethrides. alii duplicem Libethrum statuunt; alium in Thracia, quem rudes illi colerent populi; alium in Bœotia, Musarum hospitium.*

6 *Epistola nuncupatoria, quâ volumina librorum Viris illustribus dicari solent, officii & honoris gratiâ, simulque præsidio aliquo & dignitati conciliandæ vulgatis monumentis.*

7 *Cerva quædam Cæsaris ad loquendum inducitur. sententia est. Librum, qui Viro illustri sit inscriptus, existimant à Criticorum morsibus immunem futurum; quemadmodum Romani verebantur Cervam, quæ Cæsari erat in deliciis, & in aureo colli retinaculo illa circumferebat incisa verba.* Cæsaris sum: noli me tangere.

8 *Insinuat Præfationes ad Lectorem, quæ libris præfigi solent.*

Vestibulum ante ipsum. series hìc panditur omnis,
Scribendi & ratio; quibus & compulsus Amicis
[9] Vulget opus, calamo properatum scilicet, horis
Et succisiuis; aliò graviora vocabant
Namque animum. longæ ambages; quęsitaque rerum
Congeries, quidquam nec proficientia verba.
Nam non idcirco chartis perterrita parcet
[10] Spongia [1] Pædotribæ, non [2] ungula, lima, lituræ.
Haud paucis olei ardentis vigilata [3] metretis
Carmina per noctem, centum fodient [4] obelisci,
[5] Trāsversique ungues, notulæque, [6] rubellaq; cuspis,

9 *Solenne est in supra memoratis Præfationibus ad Lectorem, de consilio Authoris, totoque scribendi genere verba facere. addunt aliqui, quibus impulsoribus ad vulgandum librum sint adacti; item opus modico tempore fuisse confectum, & multa hujus generis.*

10 *Spongiâ delere ea dicimus, quæ exorsi, non succedente stylo, dimittimus. Hinc Augustus apud* Sueton. *quærentibus amicis quidnam Aiax (Aiacis Tragædia) ageret; respondet,* Aiacem suum in Spongiam incubuisse.

1 *Pædotribas, idem ferme quod Gymnasiarchas exponunt. propriè corporum puerilium exercitatio,* pædotribia *dicitur. hìc pro Ludimagistro.*

2 *Censores, dum aliorum scripta recognoscunt, impressi unguis notis mendas indicare solent.*

3 Metreta, *mensura est liquidorum, centum & viginti sextarios capiens.*

4 *Obeliscus. saxum est ingens, quadratum, sensim gracilescens, ab obelo, seu veru; quòd figurâ verui sit simile, licet moles immensùm dissentiat. sed nihil ad hujus loci sententiam saxa illa faciunt Ægyptia. Itaque obeliscum accipit magis propriè, pro parvo veru, sive veruculo, sive stylo Scriptorio. hinc dicimus scriptiones notare asteriscis, obelis, obeliscis.*

5 *Notæ unguibus impressæ. de quibus supra.*

6 *Rubella, sive rubra cuspis lapidis tinctorii miniati.* Toccalapis.

Chartula, [7] & extantes ceræ, [8] stellæque minutæ.
[9] Hoc raptum è trivio: dici potuisse Latinè
Hoc, negat [10] Ambrosius. vitiosa hìc syllaba peccat;
Subde manum ferulæ. bombi, [1] triscurria, [2] gerræ.
[3] Annales Volusj. Plautina hæc formula; at ille est
Versiculus, [4] Venusine, tuus: plena omnia [5] ruris.
[6] Juppiter! haud possit fœdum purgare solœcum,
Dejotari excussit qui de cervice bipennim.

7 *Impressis ceræ frustulis, aut minutis chartæ segminibus menda notari etiam solent in libris.*

8 *Signo impresso ad similitudinem parvæ stellæ notamus quędam in libris.* Asterisci.

9 *Inducitur Censor aliquis, sive Criticus, qui libri cujuspiam vitia sugillans, ita secum loquatur inter legendum.*

10 *Ambrosius Calepinus.*

1 *Triscurria. sensus ineptos & scurriles intelligit.* Juven. Sat. 8. triscurria patritiorum, *dixit ludos scurriles, & ingenuo homine indignos.*

2 *Quid propriè sint* gerræ, *duplici in loco diversimodè docet* Festus. *Hæc primi loci sunt verba.* Gerræ, crates vimineæ. Athenienses, cum Syracusas obsiderent, & crebro gerras poscerent, irridentes Siculi gerras clamitabant. unde factum est, ut gerræ pro nugis, & contemptu dicantur. *Alterius loci verba sunt.* Gerrones leves & inepti à cratibus dicti, quòd Siculi adversus Athenienses cratibus pro scutis sunt usi. *Hinc invaluit, ut nugamenta, & res frivolæ dicerentur,* gerræ. Plaut. in Pœn. tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet, gerræ germanæ.

3 *Notus est Catulli versiculus, quo irridet nugatoria scripta, & annales Volusii cujusdam. vide ejusdem* epigr. 37.

4 *Horatium insinuat, patriâ Venusinum.*

5 Catull. epigr. 22. Idem inficeto est inficetior rure. plenum ruris *hinc illud dicimus, quod est inelegans, & inurbanum.*

6 *Fingitur Criticus, dum librum lectitat, in solœcum pal-*

[7] Hæc ubi perſcribet per totas marginis oras
Cenſor, [8] opiſthographos ſuffocaritque libellos,
Et ſe mactatum chartis jactabit ineptis,
Fabula tunc fies; digito monſtrabere paſſim:
Quo te cumque feres, Muſis operata Juventus
Occurret, totiſque vomet convicia [9] plauſtris.
Concoque [10] ſarcaſmos, tibi ſi riget ænea fibra:
Perſta, atque obdura, dignus [1] Lacedæmone civis.
Deſpiciam potius, dices, queis rodere cunctos

marem incidere. proinde Jovem clamat; eam nempe eſſe ſolœci craſſitiem, & turpitudinem, ut illum ne ipſe quidem M. Tullius excuſare poſſit; cujus cæteroqui eloquentiæ vis Deiotarum, Galatiæ Regem, in extremo capitis periculo verſantem, quòd Cæſari fuiſſet infeſtior, oratione pulcherrima defenderit, & in Principis gratiam reſtituerit.

7 *Hactenus Criticus. jam Author proſequitur.*

8 Opiſtographus, *volumen ubique, etiam à tergo ſcriptum. ſenſus eſt. cum Cenſor tua ſcripta ita oneraverit adnotationibus erratorum, ut, omni perſcripto margine, contextus ipſe premi ac veluti ſuffocari videatur.* ſuffocare, *eſt ſpiritum præcludere. vox à* ſub & fauce *compoſita.*

9 Totis plauſtris convicia vomere, *parœmia eſt, à Ruſticis, qui obvios quoſque inceſſere maledictis ſolent, cum plauſtris vecti huc illuc tranſmigrant. Atque hinc quidem Ariſtoteles Comœdiarum originem repetit. Nam cum Agricolæ, ob frugum proventum, feſtos dies celebrarent, comeſſabundi, ſaltantes, & ad tibiam canentes oberrabant in plauſtris, & obvios quoſque agreſti licentiâ conviciis inceſſebant. In civitates deinde iidem tranſierunt, ibique Urbanos inſectabantur, eiſque flagitia ſua exprobrabant. Ea conſuetudo poſtea ad elegantiorem cultum redacta eſt ab hominibus ingenioſis. Additus Fabulæ contextus, ſales, modulatus, & alia ornamenta, ut majorem gratiam inveniret. Vide* Scalig. Poet. l. 1. c. *6.*

10 Sarcaſmus. *Latinè amarum dicterium.*

1 *Summâ vir tolerantiâ; quales erant Spartani.*

Dente [2] Theonino, facile eſt: ſed forte ſupinum
Parnaſſi in callem niti ſi juſſeris illos,
Subducent humeros, & tota valle recedent.
Exores quòd ſi demum [3] procudere quidquam,
Compreſſis quamvis labor improbus incubet ovis,
Excludunt tanto vix [4] ſubventanea niſu.
Non ſapit [5] aſparagos, piperataque cruſtula carmen
Rancidulum, ſed quem reddit lactuca ſaporem
Hortenſis, vel beta rubens, diluta ſativi
Vel radix [6] ſiſeris. Laudes titulumque Poetæ
Nec tamen affectant [7] illi plerumque: timeri
A populo, ſatis eſt, & dicere, [8] κέκρικα. [9] Momos
Tu fuge: non oculis, ut plebes cætera, naſo
Scripta legunt. dubitas? ſic accipe. Forte libellum
Neſcio quis lætos dum volveret inter Amicos,
Ignotus quidam ſuperadſtitit: atque ego, dixit,
Non oculis, quod vos facitis, ſed tradita naſo
Scripta legam. bipedem abſurdum riſere Sodales.
Accipit ille librum à Socio, menſâque reponit

2 *Dente Theonino. ideſt maledico. Horat.* Epiſt. I. 19. *à Theone quodam dicaciſſimo.*

3 *Aliquid e lucubrare.*

4 Ova ſubventanea. *quæ inania ſunt, nec fœtum progignunt. Hinc de futilibus inventis dicitur:* parit ſubventanea. *eadem à Plinio* Urina, *ab aliis* Zephyria, *quaſi vento genita, appellantur.*

5 *Sententia eſt. lucubratum à Critico carmen, non habet ſaporem ullum, aut acumen: ſed inſulſum eſt, ut lactuca, vel beta hortenſis.*

6 Siſer. *olus, cujus radix tantùm in uſu eſt. Italis,* carota.

7 *Critici ſcilicet.*

8 Judicavi. *quam vocem inſignis Criticus Ludovicus Caſtelvitrius in operum à ſe editorum fronte præpoſuit.*

9 *Criticos.* Momus. *Deus, aliorum Deorum irriſor.*

Expansum; inque altum conversa fronte lacunar,
Lectitat, & totum distinguit voce volumen.
Scilicet obstupuere omnes. sed promptior unus
Ante oculos [10] tabulas attollens; Perlege, dixit:
Cæcus erat. positas recipit dum mensula chartas,
Aversis aliorsum oculis percurritur omnis
Pagina, membranas naso properante per omnes,
Atque oculi supplente vices. mirabile monstrum
Tunc quoque dum Socii detrectant credere, librum
Ante oculos iterum proponunt: rursus & ille,
Ut legeret, nil lucis habet. tunc vocibus istis
Occupat attonitos. Ante annos non ita multos
Me gravior truncus collapsum ex arbore celsa
Excepit; frontemque rigens & lumina cortex
Contudit: hinc oculi vis omnis, pressaque lucis
Organa in exiguos fluxere impulsa meatus
Subjectæ naris. nimirum tempore ab illo
Lux oculis mihi nulla fuit; suffectus at alter
Est sensus, geminoque habui pro lumine nasum.
Me tibi commentum ne forte obtrudere credas,
Spernendæ haud equidem fidei rem prodidit Author,
[1] Smetius: hoc dices lecto me vera loquutum.
[2] Sed contra nullus scribentibus absona rerum
Aut pudor, aut finis fuerit, si fusa licenter
Carmina non metuant calamos Censoris, & ungues;

10 Tabulas, *librum scilicet*.

1 Henricus Smetius lib. 5. Miscell. Medic. Epist. 13. *Smetii verba refert* Gaspar Schottus Physic. Cur. Tom. 1. ubi de mirabilibus cæcorum. *Ponticus autem hæc subdit*.

2 *Resumit Author, docetque Ponticum (quem de Censoribus loquentem induxerat) censuram scriptorum necessariam esse multis de causis*.

Si fatuis, quæcumque velit, committere chartis
Quilibet, & Vatem populo se vendere posset,
Illotâque manu Musarum tangere Sacra.
Quin reputa, ingenuæ quantum Censoribus artes
Debuerint semper. Quòd Homeri scripta volutes,
Munus [3] Aristarchi est. Potuit si crescere quidquam,
Largiùs Æneis laudari cœpta, Maronis
[4] Mastiges postquam livens exedit, & ussit
[5] Ærugo, rabiesque, & fixa in corde [6] teredo.
Et, ne te longo fessum sermone fatigem;
Cum primùm Solymæ sacras Torquatus in oras
Magnanimum duxit Gothefridum, & Gallica signa,
Anceps fama diu, nec adhuc memorabile Vatis
Nomen erat: sed postquam illum Florentia multo
[8] Furfure perfudit, tunc [9] dia Poemata passim

3 *Aristarchus, patriâ Samius, aliis Alexandrinus, professione Criticus, & Grammaticus, floruit sub Ptolemæo Philometore, cujus etiam filium erudiit. Scripsit libros novem in Homeri Iliada, & Odysseam. tam castigato eum fuisse judicio tradit Ælianus, ut ea solum Homeri esse putarentur, quæ ipse probaret.*

4 Mastiges. *Latinè, qui flagello vel scutica feriunt. hìc pro censoribus Virgilii.*

5 Ærugo. *Situs quidam, quo æs paulatim absumitur. per translationem, linguæ mordacitas.* Hor. 1. ser. 4. hic nigræ succus loliginis, hæc est ærugo mera. ærugo *ab ære dicitur, ut à ferro* ferrugo.

6 Teredo. *vermis lignum abrodens, à terendo. hìc pro livore.*

7 *Cum primum prodiit Torquati Tassi Poema de Gothefrido.*

8 *Notæ sunt altercationes intèr Tassum, ejusdemque fautores, & Academicos Florentinos, dictos à Furfure, super ejusdem Tassi Poemate; quibus haud dubiè concertationibus Torquati Poema latiùs, impensiùsque celebrari cœpit.*

9 *Divinum prope Tassi Poema.*

Fervere; tunc ipsæ didicerunt carmina Musæ,
Carmina perpetuis indeficientia sæclis;
Tunc [10] Argas notus, Clorindaque; denique primam
Tunc, si non tenuit, negat ulli cedere famam.
Famã,inquam. Nã forte famẽ si quæris, ut [1] ille,
Pellere de cellis Musarum, [2] aliam excute quercum;
Collige sarcinulas, & Cyrrhæ desere fontes
[3] Ingratos. satius fuerit conducere [4] lintrem,
Quo flavum Tiberim transmittit Romula turba,
Lubrica distento quem trochlea fune gubernat.
Tempus erat, [5] Laurẽtiades cum jura per orbem
Traderet, & magno serviret Roma Leoni;
Tunc Helicon totis gignebat rupibus [6] aurum,
Certabatque tuis, opulenta Peruvia, venis.
Postquam illum duri rapuit violentia fati
Invida, [7] mendicæ cautes, ingloria saxa

10 *Argas, Clorinda, nota in eodem Poemate nomina.*

1 *Ut Torquatus, de quo paulo ante dictum.*

2 *Aliunde quæras oportet occasionem lucri. quasi dicat; quære quercum glandiferam; nam ista nihil habet frugis; sterilis est quercus. uno verbo. aliam quæras artem, omissâ Poeticâ, quæ nihil est quæstuosa.* Sarcina, *à farciendo dicta, quidquid ab iter facientibus in fasce comportari potest. hinc* colligere sarcinas, *aliò est migrare. à militibus, qui, moturi castra, sarcinas suas componunt.*

3 *Fontem Castalium, minimè lucrosum.*

4 *Non pauci Romæ sunt ad Tiberim portitores, qui lintre funali in aliam ripam parvulo pretio eos trajiciunt, qui viæ compendium facere volunt.*

5 *Leo X. Filius Laurentii Medicei, litterarum & eruditorum patrocinio Parentis sui æmulator.*

6 *Tunc Vates erant in pretio, & eorum labores gratiam, pinguemque mercedem referebant.*

7 *Montis Parnassi, & Heliconis.*

Esuriunt; nullis flavet spelunca metallis.
Huccine nos rerum venisse? [8] hæ scilicet illæ
Sunt lacrymæ. [9] Fuimus Troes. Si jurgia vendit
Rixoso rabiosa foro, venaliaque ora
Causidicus, patrii fines distendit agelli
Ære novo, partis laxat vinetaque fundis:
Sed neque purpureo vinaria [10] Politiano
Cella vacat; pinguisque penum petasunculus ornat,
Meta [1] Placentino concretaque lacte: placentæ
Non desunt, mensæque caput [2] scriblita secundæ,
Crustulaque, & redolet multos [3] Apotheca Clientes.
Pæoniâ [4] senior si scriptiat arte peritus
Viscosum [5] *Recipe*, atque ægro jejunia laudat,
Vētre [6] saburrato, prægnans [7] scheda parturit aurum;

8 *Hoc nostræ ætatis Poetas urit scilicet. ea est lacrimarum causa.*

9 Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens gloria Teucrorum: Virgilii *est versus*. Ænei. 2. *sensus est. fuit olim ætas felicior Poeticis ingeniis: despecta hodie Poesis est. similiter* Ovid. de Trist. nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus.

10 *Vino laudatissimo Montis Politiani, quæ Urbs est in Hetruria.*

1 *Caseus Placentinus, exquisiti saporis.*

2 Scriblita. *genus est placentæ, sed sine melle, & quam præcalidam edebant.* Martial. l. 3. 17. circumlata diu mensis scriblita secundis urebat nimio sæva calore manus.

3 Apotheca. *propriè* repositorium. *hic pro cella penuaria sumitur. usitatiùs pro vinaria.*

4 *Medicus. de Pæone medicorum clarissimo alibi diximus.*

5 *Schedulam medicamentariam.* Ricetta. *& usitatiùs vulgo*, Recipe. viscosum *dixit, quia Medicis, & Pharmacopolis lucrum apportat; ægroti aurum trahit, ut viscum aves.*

6 Ventre saburrato. *cibis oppleto.* saburra, *arena est crassior, qua naves onerantur, ut sint firmiores.*

Atque fluens solidum argentum mercatur arundo.
Turgentes loculi tot sudant æris acervos
Nempe referre domum,[8] Ferdinandosque rotundos.
Jamque togâ piget in longâ, pedibusque remotas
Ire per Esquilias, & totam verrere Romam.
[9] Jungit equos, aditu crebro quos longa paravit
Nummati quartana senis: [10] stranguria frenos
Addidit, argutas phaleras [1] Epilepsia; debet
Temonem podagræ,[2] pulmoni[3] apsida. quid ultra
Demoror, enumerans nequidquam singula? totum
Morborum lucrosa struunt contagia currum.
Ergo alios merces habeat cum certa labores,
Cur soli gratis persolvunt omnia Vates?
Gratis Victorum celebrant [4] Epinicia, gratis
[5] Hymnos,[6] Pæanes,[7] Soteria,[8] Dramata gratis.

7 *Præscriptio medicamentaria.* Arũdo. *Calamus scriptorius.*

8 *Pecuniam, Principum, ut solet, effigie signatam.* Ferdinandum, *vel Cæsarem, vel magnum Ducem Hetruriæ, pro quolibet Principe accipit. indicat tamen pecuniam illam in Hetruria signatam, quam dicimus.* Piastra.

9 *Comparat sibi currum.*

10 *Urinæ egerendæ difficultas.*

1 *Convulsio corporis, sensibus illigatis.*

2 *Pulmonum exulcerationi, qualis fit phthisi.*

3 Apsis. *rotæ curvatura. item curvatura fornicis; utralibet acceptione vel rotam currus, vel fornicem intellige.*

4 Epinicium. *Carmen pro parta victoria.*

5 Hymnus. *modulatio laudatoria.*

6 Pæan. *Hymnus in laudem Apollinis. sed illum ad omnes Deos visus est extendere Pindarus, qui opus suum de laudibus Deorum vocavit & inscripsit* Pæana.

7 Soterium. *Carmen pro valetudine recuperata.*

8 Drama. *Fabula, in qua solæ agunt personæ, Poeta non interloquitur.*

Largus opum Princeps, quas perdat [9] Ludio, Mimus,[10]
Histrio, prodigium fuerit, Fastisque notandum,
Egregio Vati toto si miserit anno
[1] Melle laboratam Cererem. Venator opimas
Quodsi fessus aves retulit, pinguemque ferinam;
Particulam prædæ, patinæ prægrandis in orbe
Aurato, ridenda tibi munuscula mittet.
[2] Apparent rari nantes in margine vasto:
Si bene dinumeres, non æquant carmina turdi.
Hanc tibi quę possent convellere, Pontice, [3] mentē,
Plurima suppeterent; calamo sed parcere justum est,
Ne verbosa suos excedat pagina fines.

9 Ludiones, *ad tibiarum modulos saltus edebant*. Livius.

10 Mimi. *Latinè imitatores. ii sunt, qui dicta, factaque aliorum gesticulatione, plerumque parum verecundâ, imitantur*. Pantomimi. *qui non unius, aut alterius, sed omnium mores, & actus singulos gesticulando exprimunt*.

1 *Placentam ex melle, & tritico*.

2 *Jocosè abutitur Virgilii versu* Æneid. 1. apparent rari nantes in gurgite vasto. *patina quidem ad Dominum reditura prægrandis, & pretiosa est; missaque videtur ad ostentationem: nam ferinæ carnis munusculum, quod eadem continet, admodum est exiguum: perpauci nempe turdi, laxiùs per vacua intervalla dispositi*.

3 *Adjungendi animum ad studia Poetica*.



SATYRA XII.

In Poetas parum pudicè ſcribentes.

ARGUMENTUM.

POeſeos degenerantis licentiam deflet. Ejuſdem Cæleſtis origo ad piè ſcribendum hortatur. Ovidii exilium amatoriorum luſuum causâ. Virgilii fabula de Didone. Studia liberalia, ut ſanctè tractentur, honeſtæ bonæque artes dicuntur. Quædam de Italis Poetis non ſatis pudicis. Quid S. Auguſtinus ſenſerit de hujuſmodi Fabulis.

VEllite jam lauros ſacro ex Helicone [1] pudicas,
O Muſæ. caſtæ vitantur germina frondis,
Ceu taxus [2] nigra, aut inamabilis [3] augurio nux.

1 *Laurum pudicam dicit, quòd in eam converſa fuerit Daphne, pudicitiæ ſtudio ſpectabilis Virgo. laurum intelligit* Stat. Theb. 1. *ubi ait*. Phœbum omnis ad aras laude ciet comitum famulûmque, evincta pudicâ fronde, manus.

2 Nigram *appellat taxum, noxiam ſcilicet & venenatam.*

Umbra nocet, clamant; longe fuge: carpite somnos
Hinc procul, ò Pueri. molli recubare sub umbra
Invitat, Zephyri hospitium, [4] Cythereia myrtus,
Grata capillatis spondetque umbracula ramis.
Arguto chordas feriunt qui pectine, Vates,
Frondibus his citharæ suspendunt garrula fila;
Frondibus his capiti nectunt viridantia serta.
[5] Nympha tegit raras hodie Peneia frontes.
Barbita nulla sonant Agamemnonas, & Menelaos:
Lesbia sed Pindo super, & cum Chloride Thyrsis
Vatum animos tenet;& rarus sine Phyllide [6] Cycnus.
Non canimus jam bella [7] odiis certata profanis,

unde à taxo toxicum *fieri non pauci opinati sunt; quos meritò refellit Vossius.* Virg. Georg. 2. piceæ tantùm, taxique nocentes, interdum, aut ederæ pandunt vestigia nigræ. *Taxum, quæ in Italia nascitur, innoxiam esse autumant. Hinc Hercules Tassus pro suo Heroico Symbolo taxum expressit, cum Epigraphe.* Itala sum; quiesce. Ferr. Theatr. par. 2.

3 Nux *generatim dicitur de arboribus, quarum cum duriori operimento fructus est. de juglande, sive nuce regia Poeta loquitur. ea etiam arbor noxia esse creditur, & inauspicata.* Ovid. de Nuce. me, sata ne lædam, quoniam sata lædere dicor, imus in extremo margine fundus habet. *hinc nonnullis* nux *à nocendo dicitur. sed* Varro l. 4. nux, *inquit*, dicitur, quòd ut nox aerem, ita hujus succus facit corpus atrum.

4 Myrtus. *Veneri sacra. hinc scitè* Virgil. *6. in myrtea silva eos locavit apud Inferos, qui amoris causâ diem obierunt.*

5 *Laurum intelligit, in quam mutata est Daphne, filia Penei.*

6 *Rarus Poeta, qui materiem carminum non habeat, Puellam aliquam celebrandam.*

7 *Non canimus gesta Heroica, quemadmodum Statius bellum Thebanum, cujus illud est Poematis initium.* Fraternas acies, alternaque regna profanis decertata odiis &c.

Æmathiæ non bella, & [8] pila minantia pilis,
Non bellatorem [9] Æaciden, non [10] arma virumq;
Sed teretem magno torquentem pollice fusum
[1] Progeniem implacidam Amphitryonis, sed geniales,
O Cytherea, jocos, & pictam fronte [2] Lacænam.
Non ita Mæonio cautum [3] Sene. puppibus altis
Ille armat totas trepidum in Simoenta Mycenas,
Larissæque Duces, & sanguineos Atridas,
Pyrrhumque, Aiacemq; & amicum fraudis Ulyssem.
Ausoniis properas Latiisque, miserrime, chartis
Mergere pallentes noctes, procul exule somno:
Scilicet ut fulvi festines imbre metalli
[4] Deciduum cecinisse Jovem: vel, nocte sub alta,
Tollat [5] Agenoreum Doris tibi Cretica Taurum.
Quæsitis hæc mane novo recitabis Amicis,
Ad Cælum qui pulchra ferent [6] Idyllia. merces
Hæccine nocturni fuerit pretiumque laboris?
Hæc longus peperit nisus, vigilisque lucernæ.

8 *Bella Romanorum civilia, versibus exposita à Lucano, cujus est hemistichion*: & pila minantia pilis.

9 *Statii Achilleida.*

10 *Virgilii Æneida.*

1 *Herculem, virili cultu abjecto, lanam & pensa ducentem in gratiam Joles, vel, ut alii existimant, Omphales.*

2 *Helenam Spartanam. alii Amyclæam faciunt.*

3 *Non ita molliter cecinit Homerus: non ita suo præscripsit exemplo.* Mæonius, *quia Smyrna, quæ una est è septem civitatibus, quæ de Homeri patria certant, Urbs est Lydiæ, quæ Provincia à Mæone dicta est Mæonia.*

4 *Innuit fabulam Jovis in imbrem aureum commutati, ut Danae potiretur.*

5 *Jovem in taurum conversum, & ad Cretam asportantem Europam, Agenoris filiam.*

6 Idyllia, *Poematia sunt, quæ novum semper argumentum*

Flammula? non aliam laudemque decusque reportas,
Authores quòd tot, multos excusseris annos,
Scribendi rectè? [7] Bembus, Leonardus, Alunnus
Lectus ter decies, clari Documentaque Thusca
Ruscelli huc demum recidere? huc pallor in ore
Qui sedet, & cultis macies collecta Camœnis?
O curvi in terras calami! [8] loligine nigra
Quos Acheron gravat, & [9] Lernæi tabe veneni,
Virtutem ut fodiant scelerata cuspide; ut olim
Occidit [10] Orator, viduis grave funus Athenis.
Ingenii altivolis nubes transmittere pennis,
In mediumque inferre diem patientia Solis

tractant. ita ut non sit una totius operis materia, sed plures fabulæ, sive modulatus divisi. Idyllia scripserunt Theocritus, & Ausonius. sed Italis Poetis longè frequentior usus Idylliorum.

7 *Adducit aliquot ex præcipuis Italicæ linguæ Magistris, quorum opera ab ejusdem studiosis non ignorantur. Petrus Bembus tribus libris de Italica lingua disertissimè loquitur. Leonardus Salviatus scripsit* Admonitiones *pro Italica lingua. Franciscus Alunnus* Divitias, *Hieronymus Ruscellus* Commentarios *ejusdem linguæ.*

8 Loligo, *Varroni quasi voligo. piscis extra aquas volitans. atrum habet succum, quem pro livore hominis invidi posuit* Horat. *eòdem Author utitur pro tabifico quopiam liquore.*

9 Lerna. *lacus in agro Argivo, exitiosas evomens aquas. hujus lacus fontem Hercules occlusit, aquas vero distraxit & exsiccavit. Non defuerunt rebus suis extollendis Fabulatores Græci. Lernam, Inferorum paludem finxerunt; distractas aquas, & fontes occlusos, Hydram septem capitum. Non dissimili amplificatione mirificâ usi sunt Græci Scriptores in victoria de cane Cerbero, & aliis Herculis gestis, quæ scilicet in Arcadia, & in agro Micænarum, non ultra Peloponnesi partem gessit. sed hæc nos in transcursu. ea otiosè tractant, qui scripserunt de Historiis in fabularum involucris.*

10 *Demosthenes, qui haustu ex calamo veneno obiit.*

Lumina cum possis, properas involvere cœno
Cur animi cælestis opes, mentisque supernæ
Partem desectam, atque aurai simplicis ignem?
Quod si rem prima repetens ab origine quæram,
Non equidem tali fluxit de fonte canoræ
Ars citharæ; prisci non hæc primordia cantus.
Hymnos Cælitibus persolvere, supplice voto
Exorare pios, meritasque rependere grates,
Ardor erat. tum gesta virûm, quos inserit astris
Dura per obnitens, Superisque simillima virtus,
Exornare lyrâ; parilesque ciere Nepotum
Cordibus igniculos, & veræ laudis amorem.
Postremò, quæ sit vitæ flexura, modusque,
Metaque solicitis animi quæ debita curis,
Ut labor exacuat, frangat socordia mentem,
Ut [1] remis velisque nocens vitanda voluptas,
Gaudia fucatis quàm distent vera, docebant.
Non ego mendaces reputem, nec vana loquutos,
Phœbeam qui prodiderant Cęlestibus artem
Orbibus exortam. Cælum non mentiar ipsum
Dixero si Citharam primam, primosque rotato
Axe dedisse sonos. illo didicere Magistro
Hinc primi Vatum fidibus sociare canoris
Divinos cantus, & Cælo carmina digna.
Talibus à studiis verùm normâque canendi
Quò sit procursum, pudor obstat dicere. Panes,

1 Remis velisque. *omni conatu adhibito. à navi, cum remigio simul & velo impellitur*. Plaut. in Asin. remigio, veloque, quantumcumque poteris, festina, & fuge. *Item* Cicer. Tusc. 3. tetra res, misera, detestabilis, velis, ut ita dicam, remisque fugienda. *non absimiles sunt parœmiæ*. Velis, equisque. Manibus, pedibusque.

Silenos, Faunos, & turpiculos.[2] Satyriſcos
Ludimus. exiliunt cupidæ cum pectine chordæ,
[3] Feſcennina vocat quòcumque licentia. Quamvis
Degeneres ſtupeo nec Muſas. lamina nempe
Rara, [4] ſubærato quæ non malè tinniat auro.
Nec ſemel amiſsâ demiror fronte, ſequuntur
Si [5] prætextatos [6] Mileſia carmina mores.
Sed mala ſi tetigit campos urtica, quieſcunt
Cur [7] falces? impunè licet cur ſcribere quidquid

2 *Cantus impudici; quales ſilveſtres Dii procaciores parum verecundè apud Nymphas edere ſolent.*

3 Feſcennini verſus, *à Feſcennino Oppido Campaniæ appellati, in nuptiis dicebantur omni obſcænitate.* Horat. 1. Epiſt. 1.

Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.

4 Aurum ſubæratum. *quod in ſuperficie aurum oſtendit; ſed intus æs occultat.* Perſ. Sat. 5. nequa ſubærato mendosùm tinniat auro. *ſententiam ſic accipe. non eſt mirum corrumpi optimas artes; quemadmodum vitiari ſolet aurum ipſum æris miſturâ.*

5 Prætexta. *veſtis talaris, purpureo prætexta limbo; unde Ethymon. Eam geſtabant Pueri ad annū decimum ſeptimum, quo togam virilem ſumebant. Item* prætexta *Fabulæ genus, ut docet Donatus* Terent. Adelph. prolog. *Latinas Fabulas ſic enumerans.* Tragædia, Comœdia, Togata, Tabernaria, Prætexta, Crepidata, Atellana. *In Fabulis Prætextis obſcœna erant multa. Hinc* verba prætextata. Sueton. in Veſpaſ. Erat dicacitatis plurimæ, & ſic ſcurrilis ac ſordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abſtineret. *Itaque verſus, ſermo, mores prætextati, impudici ſunt. Vide* Voſs. Ethymol. *& commentarios in* Juven. Sat. 2. verſu ult. Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

6 *Mileſios effæminatos fuiſſe conſtat.* Carmina Mileſia, *mollia ſcilicet, & parum pudica.*

7 *Metaphoricè loquitur. cur impuros Poetas Reſpublica patitur?*

Prurigo malesuada jubet? si diluit herbas
[8] Canidia, Æmonio cyathum vitiatque susurro,
Ut [9] verrucoso properet medicata marito
Toxica, [10] Stentoreo tu clamas gutture: Pestem hanc
Perdite, Lictores; [1] ad Pontem de trabe longâ
Pendeat, obscœnisque ferat convivia corvis.
Si miscet Vates animo nocitura venena,
Ingenium cantu si fascinat; improbe, multùm
[2] Connives; properas hominem nec mergere Tibri,
Nec dare Lictori. Minimum est, quod poscimus; audi.
Quanti, quâ constas, animam facis? estne cuiquam
Præponas animam? vis horti caulibus? horres:
Nunc age. vicino si fur nocturnus agello
Fasciculos quatuor generosæ raserit herbæ;
Furcifer, exclamas, dextram [3] cedò, [4] porge sinistram,

8 *Canidia*, *Venefica apud* Horat. *sumitur pro quacumque venefica.*

9 Verrucoso marito. *aspero*, & *difficili*. *sumptâ metaphorâ à verrucis. verrucæ autem sunt editiores cumuli in agro.*

10 *Stentor. clamosissimus Græcorum Ducum, qui ad Trojam profecti sunt*. Homer. Iliad. 5.

1 *Rei capitis Romæ in suspendium adigi solent ad Pontem Tiberinum, Ælium dictum, à prope adsita Arce Ælii Adriani.*

2 Conniveo, *vel* connivo, *est palpebras modò claudere, modò aperire, quod faciunt qui dormitare incipiunt. metaphoricè* dissimulare. Nonnius *illum referens Plauti versiculum.* nec illa ulli hominum nutet, nictet, annuat. nutare, *ait*, proprium est capitis; annuere, sive innuere, narium vel labiorum; nictare (*est autem* nicto *frequentativum à* niveo, *unde* conniveo) proprium est oculorum.

3 Cedò *pro* dic, *in imperativo tantùm invenitur, habetque primam correptam*. Cicer. in Caton. cedò, qui vestram rempublicam amisistis? *item* cedo, *pro* da, *in imperativo tantùm*. Teren. in Phorm. Quin tu mihi argentum cedò.

Ostende huc etiam, superest quæ tertia, dices
Cum sene [5] Plautino. [6] loculos fac, improbe, cernam;
Excute palliolum: surgit tibi [7] lutea pellis,
Pingitur in facie furtum. si perneget [8] audax;
[9] Nonne Puer vidit te? nonne Ancilla, latebat
Quæ tacita ad postes? responde; aut accipe pugnos;
Accipe; contractâ simul ora trementia palmâ
Percutis. ast illi festivo murmure tinnit
[10] Sinciput, & tristem dentes cœpere [1] choream.
Ergo qui tenuem vastat furunculus hortum
Cum non supplicio careat; populatur inultus
Cur Vates animi florentia septa pudici,
Tabificoque nocet modulamine? nonne vides, ut
(Horrebas primùm quod dicere) [2] brassica pluris
Est tibi, quàm cuncta exuperans mortalia celsi
Vis animi? reliquos cum remi, verbera, restes,
Publicaque evigilans maneat vindicta nocentes,
Cur solis impune licet peccare Poetis?

4 Porge, *per syncopen pro* porrige. Virg. 8. cingite fronde comas, & pocula porgite dextris.

5 *Locus Plauti est in* Aulul. act.4. sc.4. *Euclio*. ostende huc manus. *Strobilus*: Hem tibi. *Eucl.* Ostende. *Strob.* eccas. *Eucl.* video: age, ostende etiam tertiam.

6 *Loculos femoralium, in quibus reponimus, quæ ad usum parata esse volumus.*

7 Luteum *dicimus, quod est rufi, sive dilutioris coloris. à* luto *herba, qua crocini tinguntur panni.*

8 *Si Fur neget, se quidpiam surripuisse.*

9 *Subaudi.* tu statim respondes.

10 *Pars anterior capitis.*

1 *Saliunt expuncti dentes.*

2 Brassica, *eadem est herba, quæ vulgo caulis nomine est notior. à præsecando ita dici, author est* Festus; *quòd à scapo ejus folia præsecentur. hinc* brassica, *quasi* præseca *vocatur.*

Audio clam tacito [3] mussans quod murmure dicis:
Adde etiam Medicos. verùm experientia fallax,
Longior ars, & vita brevis, quæque aspera [4] Cous
Addit multa Senex illos absolvere credam:
Demum non vitiant animos, dum corpora mactant.
Longa dedit [5] Cæsar qui terris otia, tingi
Non tulit Aonios Cypria [6] pulligine fontes.
Namque Cupidineam doceat si nequior artem,
Idalios citharâ [7] Vates & ventilet ignes,
Navigat algentem ad Scythiam, Bessosque, Getasq;
Augustasque luit flammas, falsamque [8] Corinnam.
Naso, [9] Tomitanis qui [10] Tristia scribis in oris,
Quid tibi visa palus, rogo, [1] Mæotis? Schythicus quid

3 Mussare, *idem quod* mutire. *submissa voce clam dicere, quod apertè quis eloqui non audet. Cum audiret Ponticus, solos Poetas impunè aliis nocere, mussitabat secum, idem de Medicis (imperitos intellige) esse dicendum.*

4 *Hippocrates, Medicorum princeps, in insula Coo natus. meritò senem dicit, nam annos centum & quatuor vixit. Ejusdem Aphorismorum celebre illud est initium.* Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experimentum fallax, judicium difficile.

5 *Cæsar Augustus Octavianus, qui externis & civilibus armis compositis, pacato terrarum orbe, Jani templum clausit.*

6 Pulligo, *idem ferme quod nigredo.*

7 *Ovidium indicat.*

8 *Et exilio persolvit pœnas pro impudico (ut aliqui censent) amore erga Juliam, Augusti filiam; quam porro eundem intellexisse credunt, cum de Corinna scriberet.*

9 Tomus. *Ponti Oppidum, Ovidii exilium. nomen habet ab incisione, quam Græci* Τομὴν *dicunt. ibi enim Absyrtus Sororis Medeæ crudelitate fuit dissectus, ut exponit idem* Ovid. de Trist. 3. 9.

10 *Libros de Tristibus.*

1 *Mæotis, Palus Scythiæ Septentrionalis, in quam influit*

Axis? Amazonia [2] Tanais quid fractus ab hasta?
[3] Axe sub implacido, & Saturno, crede, maligno
Vivimus. [4] eduræ glacies: quas nulla bipennis,
Nullaque vis flammæ, nec edaci solvat aceto
[5] Annibal: adde nives, æternaque frigora. [6] Credo
Haud equidem hæc metuas, niveo Sulmone creatus.
[7] Sed pluviæ fœdantque diem, atque amnibus auctis
Illuvie complent agros, populantque. [8] Nec imbres
Crediderim metuas, [9] Pelignis natus aquosis.
[10] Non ullæ misero fruges, non commoda vitæ:
Possidet ista duas tantum res barbara tellus,
[1] Exulem,& Exilium. [2] I nunc improbe,mollia tende
Fila lyræ, teneros & præcipe lusor amores.
Tu quoque [3] Acidaliâ citharam pice polluis, ingens

Tanais.

2 *Tanais, Scythiæ fluvius, Europam ab Asia dividens, quem Amazones coluerunt.*

3 *Ovidius respondet.*

4 *Supple*, apud nos sunt, *aut aliquid simile.*

5 *Qui aceto solvisse cautes legitur in transitu Alpium.*

6 *Verba sunt Poetæ ad Ovidium.*

7 *Iterum Ovidius.*

8 *Alia ad Ovidium Poetæ responsio.*

9 *Peligni, Aprutii populi, Vestinis, & Marrucinis finitimi; ubi Sulmo, Ovidii Patria.*

10 *Ovidius postremò loquitur.*

1 *Innuit versiculos illos, qui tanquam Senecæ circumferuntur; ubi de exilio suo loquitur.*

Non panis, non haustus aquæ, non ultimus ignis:
Hic sola hæc duo sunt, Exul, & Exilium.

2 *Concludit Author adversus Ovidium.*

3 *Venerem dictam esse Acidaliam ab hujus nominis fonte in Bœotia, in quo se lavant Gratiæ, Veneris filiæ, author est* Servius *in illud* Virg. Ænei. 1. At memor ille Matris Acidaliæ &c.

4 Tytire.

[4] Tityre. mordaci nares hìc lotus aceto
[5] Zoilus exclamat. digitum venerare Maronis,
O nebulo; ne tu divinam Æneida tenta:
Os jubet hoc [6] Statii, postquam mucrone superbo
Alterno Ogygios mactavit funere fratres.
[7] O Corydon, Corydō; multùm mihi cognita [8] Mãto:
Iliaco [9] cineri, & fœdanti altaria Pyrrho
Assurgo: ludos Siculos, antrumque Sibyllæ,
Elysiosque pios miror: pharetrata Camillæ
Terga placent: laudo Rutulæ bella aspera pubis,
Et demum morsâ Turnum mitescere terrâ.
Ferventem bilem male tempero, Regia Dido
Cũ migrat in [10] Phrynen. tectis sed nubibus [1] imber...
[2] Scilicet opponas cum nubibus Apenninum,

4 *Virgilium notat, qui se Tityrum appellat in carmine Pastorali.*

5 *Zoili Sophistę in Homeri libros mordacitas proverbio locum fecit, ut alienæ laudis & laborum obtrectatores, Zoili dicerentur.*

6 *Statius suam alloquens Thebaida in fine Poematis hæc habet:* nec tu divinam Æneida tenta. Mactavit fratres Ogygios. *idest versibus exposuit mortem Eteoclis, & Polynicis, fratrum Thebanorum.*

7 Ah, Corydon, Corydon. Virg. Ecl. 2. *Poetæ sensus. vir nimiùm es bonus, Zoile, qui mihi hæc objicias.*

8 *Non est mihi ignotum Poema Virgilianum.* Manto. *Nympha, quæ Mantuæ nomen dedit: pro Virgilio ponitur.*

9 *Demiror Virgiliana omnia, præter inustam Didoni impudicitiæ notam.*

10 *Phryne, Atheniensis mulier impudicitiâ infamis.*

1 *Abrumpit sermonem, pudoris gratiâ: simulque occupat excusare factum Didonis, quasi nimbo à Junone immisso tectum: ut est apud* Virg. Ænei. 4.

2 *Respondet superiori occupationi.*

Atque Alpes; Regum pateant delicta necesse est:
Nulla lues longùm latuit: te judice, blandùm
Sidera riserunt, & [3] connubialis Olympus.
Marte procul retines, & vultu perdis in uno,
Quem Latio debes, Heroa. hæc discat Iulus,
Romaque; & ad seros abeant exempla Nepotes.
Vindictam reor hanc Danaûm, demisit ad umbras
Quotquot Tænareas, pugnans velamine noctis,
Quæ Trojæ suprema fuit. [4] Sidonia conjux
Ignem Agamemnonium, illusosque ulciscitur Argos.
Turpior illa licet nec solùm est fabula; Vero
Sed pugnat mendax, geminæque ab origine gentis
Inquinat Imperium: Romæ primordia labem
Inde trahunt; trahit inde notam gens Punica. Regnū
Evertit Fortuna, tuum, Carthago; Maronis
Infecit cunas livor: bis victa fatiscis;
Surgentem Maro, grandævā opprimit [5] Æmilianus.
Plus tibi, quàm Latiæ classes, ultorque Quirinus,
Imbellis nocuit calamus: Roma abstulit urbem;
Livida sed magnum transfixit pagina nomen.
Romanis armis, Urbs invictissima, nulla es;
Virgilio, infamis: miseram Romana ruinam

3 Virg. Ænei. 4. fulsere ignes, & conscius æther connubii.

4 *Vigilias militum Argivorum. Æneas Carthaginiensi illo otio, atque dedecore, omnem obliteravit gloriam, quam promeruit strenuè pugnando, suprema nocte Trojani excidii, evadendoque per medias acies Argivorum.*

5 *Paulus Æmilius, nepos ejus, qui apud Cannas trucidatus est, filium tradidit in adoptionem Scipioni, filio Africani superioris, qui Æmilianus est cognominatus. is Carthaginem delevit, unde & Africanus minor est dictus. idem ex victa Numantia tertium habuit cognomentum Numantini.*

Te fecere odia; at quantò crudeliùs ille
Inceftos ortus, & adultera mœnia fecit?
Quid Vatum poterit promittere turba minorum,
Si tantis [6] Gnidios cantus didicere Magiftris?
Nimirum exemplo regimur, fervum pecus. Atqui
Ifta placent, dices; hæc vellicat efca palatum.
Seria fi ludas, laxum caput ore foluto
Ofcitat; in pectus defcendit plurima cervix,
Et plaudit lætis nafi tibi fiftula rhonchis.
Seria fi ludas, foboles generofa Quirini
Ofcitet? ufqueadeone amifit Roma pudorem?
Sed Proceres cum plebe ruunt ad [7] carmen amicæ
Thebaidos. Cypriis tamen illi haud ebria [8] pappis
Carmina: funt grandes animi, funt mafcula plectra:
Pulfa; callofi refpondet nulla metalli
Scoria. Jam geminos præftans Hifpania Vates
Quos tulit, expendas. non te, [9] quem dura creavit
Bilbilis imbellem; [10] illotâ cui fæpe lacernâ
Delius in ftabulo eft; habitantque in fornice Mufę:
Corduba fed quos magna dedit; quorum ære canoro

6 *Gnidus, aliis Cnidus. Urbs Doridis, Veneri olim facra, in peninfula Cariæ, cum promontorio ejufdem nominis. hodie* Capo crio.

7 *Quod eft Statii Poema.* Juven. Satyr. 7. curritur ad vocem jucundam, & Carmen amicæ Thebaidos.

8 Pappos *dicit, nugas, & frivola amatoria.* pappus *antiquâ linguâ idem quod fenex. & quia fenilem canitiem affimilat lanugo carduorum, ideo ea etiam* pappus *dicitur.* Lucret. plumas avium, pappofque volantes.

9 *Martialem, cujus patria Bilbilis, Urbs Hifpaniæ Tarraconenfis.*

10 *Sugillat, quæ fæpe obfcœniffima occurrunt apud Martialem.*

Civica bella canit [1] declamatorius alter;
[2] Alter grande sonat tragico, sævitque cothurno.
Perlege grandiloquos Hispano robore versus
Quos animant. jaculis non illic pectus Amyntæ
Perfoditur; nullosque leges Amaryllidis ignes.
Nimirum Cypriæ procul à nidore culinæ
Ora virûm colere, & magnis licet esse Poetis.
Præterea an solæ vivunt in sæcula telæ,
Imbuit impura quas doctus imagine Pictor,
Et quas obducto jubearis condere velo?
Sed tot Cælituum effigies, fulgentiaque auro
Quæ picturatâ radiant testudine templa
Roma frequens laudat, tacitus miratur & hospes.
Artificis magni non est, submittere turpi
Venalem sceleri, quam sedulus excolit, artem;
Ipsaque per famæ dispendia quærere famam.
[3] Ecce, Puer, scalprũ, & peregrinę marmora venę:
Adde [4] animam saxo. quid [5] pones? [6] tela ferentem
Aligerum, Superis, formidatumque Tonanti;
Aut [7] Matrem, cujus currum subiere columbæ,
Qualem [8] Praxiteles vivo de marmore duxit.

1 *Lucanus, Poeta Cordubensis, quem inter Oratores magis, quàm inter Poetas adnumerandum censuit Quintilianus. Ideo* declamatorium *appellat.*
2 *Seneca Tragicus. item Cordubensis.*
3 *Alloquitur tironem aliquem in arte statuaria.*
4 *Figuram scilicet.*
5 *Qua figura marmor exsculpes?*
6 *Respondet inductus Tiro.*
7 *Venerem, quæ à columbis ducitur.*
8 *De duplici Venere Praxitelis vide* Plin. 34. 8. & 37. 5.

[9] In vitium præceps, imitator pessime, cur non
Virgineum genitrice refers cum Virgine Natum?
Namque, ut prętercam, quod te tuaque omnia debes
Et Puero, & Matri; Puero nil pulchrius illo est;
Floruit Isaciâ nec Virgine pulchrior ulla.
Inspice quam nitidam fecit [10] Laurentius Urbem,
Quæque sacras centum statuit simulacra per aras:
Hinc modulos exscribe; pete hinc [1] anaglypta: ruente
Redde [2] Philistæum Jessææ verbere fundæ;
Aut, bellator equus medios quem ducit in hostes,
[3] Flaviaden. Pharium quæ Signa regunt [4] Obeliscum,
Euphratem Latium, Romanumque exprime Nilum,
Et fluere in mediâ quæ jussit barbara Româ
Flumina. Degenerant si carmina, signa, colores,
Artifices primùm ęsse nego, qui talia tractant;
Has porro, mendax fuerit, qui nuncupet artes,
Lex meritò quas prisca bonas & dixit honestas.
Ast ego (composito quis vultu, & fronte severâ

9 *Tironem redarguit.*

10 *Laurentius Berninus, insignis Architectus, & Statuarius, multis Ædificiorum, & statuarum monumentis Urbem ornavit.*

1 Anaglypha, vel anaglypta, *dicuntur cælaturæ, in quibus imagines eminent.* rilievo. *Opus integro, vel dimidio anaglypho: Latinè, integrâ, vel dimidiâ eminentiâ.* tutto, o mezzo rilievo. Mart. l.1. nec desunt tibi vera Glaniana, nec mensis anaglypta de paternis.

2 *Statua David, fundam torquentis, in Ædibus suburbanis Villæ Burghesiæ.*

3 *Statua Constantini Cæsaris, in gradibus Vaticani, juxta Basilicæ porticum. Constantinus Magnus, Flavius est dictus, quòd à Vespasiano Cæsare originem duceret. ideo* Flaviaden *vocat.*

4 *Quatuor præcipuorum amnium simulacra marmorea, ad*

Dixerit) haud molles elegos lusisse peritus,
Nec Lycidæ, Cratylique faces, & vulnera Mopsi,
Designor populi Censor; Satyræque flagello
In vitium feror; ut mediam, spectante theatro,
Hispanus tauri frontem petit ense corusco,
Horrida cum patriis celebrat certamina ludis.
Consilium laudo: quando rari sine sannis
Nascimur, invidiam facturi [5] elephantibus Indis.
Verùm age: cum primâ simulasti pelle Catonem,
Et Satyram ingressus præclaro carmine dixti,
[6] *Credo pudicitiam*. quid tum? tutissima mores
Obliquat Satyra ingenuos; tutò unica mentes
Decipit incautas pulchra sub imagine Recti;
Dumque vetat peccare, docet. Comœdia (prisco
Si præstanda fides, Auditor docte, [7] Cratino)
Fonte suo hoc nata est, mores ut, pravaque vulgi
Raderet: arrosis atrum præfigere [8] Theta
Laudatur vitiis, nec inultos ferre nocentes.
Dic,age,nunc;quę scena recens?quę norma?quis actor?
Blandi nempe joci, nempe ærumnosus Olintus
Dicitur; & veteres discingit Silvia [9] soccos.

angulos obelisci, qui visitur in fonte Fori Agonalis.

5 *Quibus longissima est proboscis.*

6 Credo pudicitiam. *ita incipit Juvenalis Satyram sextam, morato gravique ingressu. cæterum obtentu exprobrandi impudicitiam, summa ipse postea obscænitate scribit.*

7 *Cratinus, Poeta Comicus apud Athenienses, cujus mordaces Fabulas populus magnopere metuebat.*

8 Theta *apud Græcos damnationis erat nota. nam prima est littera dictionis* θάνατος, *quæ apud eosdem mortem significat.* Perf. Satyr. 3. & potis es vitio nigrum præfigere Theta.

9 Soccus, *calceamentum, humilius cothurno, quo Comœdi utebantur.*

Parciùs at Latii veteris qui voce loquuntur
Defeciſſe putes: [10] Italas pellacia major
Enervat Muſas; & Tibride mollior Arnus.
[1] Arma,virumq;cano,Solymę qui grande ſepulchrũ
Aſſeruit. multùm ille animis, & robore multùm
Præſtitit. incaſſum Libyæque Aſiæque phalanges
Oppoſuere minas: fauſto nam ſidere victor
Errantes ſocios ſignum revocavit ad unum.
Muſa fave, quæ non periturâ tempora lauro
Cingis; in æternum veniunt cui ſidera ſertum.
[2] Perge, decus Vatum, ſic omnia dicere. fronti
Laurea ſerta tuæ galeatus paſcit [3] Orontes;
Victaque palmiferam in ſegetem deſcendit Idume.
Inſtrue Francigenûm turmas; Ægyptia caſtra
Junge pharetratis Nomadumq; Arabumque catervis:
Aſſociet vires Regno Solimanus adempto
Fortior: Infernis cultoribus eripe [4] fœtam
Prodigiis ſilvam, gelidaque in morte minacem
[5] Appulus, & vinci indignantem, Arganta trucidet.
Sed mihi neſcio quid petulanti [6] Pſittacus ore
Rancidulum ſonat, & teneros ſupplantat amores.
Surgere cerne roſam, [7] dicebat....Surgit [8] orexis

10 Pellacia. *illecebræ*. *à pelliciendo*.
1 *Initium eſt Poematis Torquati Taſſi, quòd Latinè vertit.*
2 *Reſumit Author.*
3 *Orontes, fluvius Antiochiam à Syria dividens*. galeatus. *galeas ferens cæſorum, demerſorumque militum*.
4 *Nemus magicis præſtigiis obnoxium, & excantatum, quod Rinaldus ſuperavit.*
5 *Tancredus, qui ex familia Ducum Apuliæ.*
6 *Pſittacus, qui in Magico vireto ad canendum inducitur.* Goffr.c.16.
7 *Abrumpit Pſittaci cantum.*

Hic mihi. mitte rosas jam quęrere: mitte [9] Magistrum
Eoum hunc, viridemque plagis accersere ab Indis.
Ergo Palæstinas cum fulmina stringere in arces
Debuerant Aquilæ, Cypriâ mihi Psittacus escâ
Vellicat auriculas? dic, ò facunde volucrum,
Quis tibi cum jaculis locus, hinnituque feroci
Quadrupedum? Heroâ qua parte locatus es in re?
Prætereo [10] Syriam Circen, vultusque procacis
Illecebras sileo, laqueosque, [1] jocosaque Tempe.
Scilicet Idalio labyrintho & fraude solutus,
Acrior ad pugnas novus ille exsurget [2] Achilles.
Degenerem si rauca vocet tuba; clamet ad arma
Ocyùs; abstergat sordenti opobalsama collo;
Ignescant oculi; ad monstratum [3] convolet ensem;
Vallaque [4] deliquiis repetat Solymea relictis.
Oebalio qualis formosa [5] Semiramis ostro,
[6] Cerussâque genas dum pingeret, oraque segnis

8 Orexis. *Latine* esuritio. *nauseam etiam*, & *fastidium sæpe significat. in hoc sensu hìc sumitur.*

9 *Psittacum, avem ab Indis ad nos advectam.* Eois ales mihi missus ab Indis. Ovid. Magistrum *vocat; quia nequioris doctrinæ præceptor est apud Torquatum, memorato in loco.*

10 *Armidam, Sagam apud Torquatum.*

1 Tempe, *Thessaliæ tractus, amne Peneo irriguus, summæ amenitatis. per similitudinem, quæcumque sunt consita deliciis loca*, Tempe *dicuntur.*

2 *Rinaldus scilicet.*

3 *Quemadmodum de Achille narratur; cum inter Lycomedis filias delitescens, ad Trojanum bellum ab Ulysse astu duceretur.*

4 *Deliquiis animi. vitæ jucunditatem intellige.*

5 *Assyriorum Regina.*

6 Cerussa *pigmentum ad inficiendam faciem. quòd sit ceræ similis.*

Excoleret; trepidam funestat nuncius aulam.
[7] Occidimus, Regina: furit per tecta viasque
Hostilis manus; Euphrates tremit omnibus undis.
Illa [8] gynæcei tunc immemor, & calamistri,
Ex Helena Hippolyte, clypeum petit, arripit hastam,
Et pugnam, lævâ malecomptâ parte comarum,
Ingreditur, [9] sparsoque tegit Babylona capillo.
Ac veluti diras si Massica vina cicutas
Diluerint, succi graviùs nocuere maligni;
Non aliter Vates quantò est præstantior ipse,
Hoc magis exitio est, habeat nisi Musa pudorem.
Sæpe licet frontem Comœdia scripta licenter
Exuerit; nec semodios modiosque, protervi
Tota sed eloquii diffuderit [10] horrea; condit
Fama tamen multos, tenues in carmina vires,
Et modicum quibus ingenium dedit asper Apollo.
Ignorare putem sed nullos, [1] improba Daphne,
Quæque monet dulci vitandus carmine [2] Lyncus.
Hæc discunt Pueri, hæc recitant ad balnea, furnos,
Soli, cum sociis, miserorum ante ora parentum,

7 *Nuncius quidam inductus alloquitur Semiramidem.*

8 Gynecæum. *secretior pars in Ædibus, ubi solæ degunt mulieres.* calamistrum. *à calefaciendo dictum, ut docet* Varro. *ferrum est, quo calefacto capillus intorquetur.* coma calamistrata. *& per translationem*, mores, oratio calamistrata.

9 *Tuetur, propugnat.*

10 Non modio, sed horreo ipso *dari dicitur, quod prolixè, & affatim datur; propterea quòd ex horreo pleniùs depromitur.*

1 Daphne. *consiliatrix pessima, in satis nota Fabula Pastorali.*

2 Lyncus. *Pastor senex, nequissimus item consiliator in alia Pastorali Fabula.*

Et rident tetricos contra clamare Magiſtros:
[3] Expecta. [4] Puer, ociùs ad me; oſtende libellum,
Quem teris. [5] Exigua eſt moles; argentea mordent
Lora utrumque latus, junctura argentea, margo
Aureus, & ſimili foliorum raſa metallo
Ora nitet. [6] Renuis? [7] Sed nil olet iſta profani
Pagina: ne dubita. condit cæleſte Volumen
Virginis æthereæ laudes: Suffragia gentis,
Vivaci purgat quæ noxas igne, ſequuntur.
Sunt etiam Iſacii Suſpiria fervida Regis,
Et lacrimæ; geminæ cum mens ſibi conſcia noxæ
Supplicium luctu exigeret, cum pulvere parcas
Præbebat quas menſâ dapes, & pocula fletu
Miſcebat; lacrimiſque thorus manabat obortis,
Et multùm, Miſerere, Parens, Miſerere, canebat.
[8] Quidquid id eſt, affer: poſtremùm hoc juſſero: novi
[9] Triconẽ aut propera, aut [10] pecorinũ cruribus imbrẽ
Acerſes: juſſus jam corripit [1] Antoninus
Cæſariem [2] Berenicæam: te mortua vivum

3 *Fingit ſe in ludo litterario diſcipulum deprehendere, qui legat librum licentiorem, eâ formâ compactum, quâ conveſtiri, ornarique ſolent libelli, qui laudes Deiparæ Virginis, & ſacras preces continent.*

4 *Alloquitur Diſcipulum lectitantem.*

5 *Deſcribit formam libelli.*

6 *Iterum ad cunctabundum Diſcipulum.*

7 *Reſpondet Diſcipulus.*

8 *Urget acriùs, ut properè ad ſe accedat Diſcipulus.*

9 Tricones. *qui verſutiarum involucris ſe ſtudent obtegere, ne quid deliquiſſe arguantur.*

10 Imbrem pecorinum. *Verbera è flagris ovina pelle confectis.*

1 *Nomen Maſtigophori Collegii Romani.* Correttore.

2 *Flagrum, intortis nexum funiculis diſcretiſque, quaſi que-*

Tundet [3] ovis; mox de testudine reddet [4] Achillem.
Excussit demum scabiosum virga [5] caballum.
Accedit trepidans; ceu curtus Sabbata pallet
Cum [6] Salomon. veniam si quid peccaverit audax
Quæritat, & librum, vultu pallente, resignat.
[7] Forma equidem sacra omnia nunciat: experiar, si
Sana [8] colorato respondent viscera vultu.
Mens metuit præsaga dolos. [9] O probra, luemque!
Nequitiam ò pueri extremam! malefidus hic ille est,
Insontes non cessat oves qui perdere, [10] Pastor.
Non est, excussis morum [1] temulentia frenis
Quod reliquum faciat. scelerum Lernæa quid ultrà
[2] Excetra, quid præceps in deteriora libido

dam capillamento. De coma Berenices vide Saty.9. p.250. N.4

3 *Flagrum, ovium pelliculis nexum.* Plaut. Asin. ubi vivos homines mortui incursant boves. *idest, ubi lora bubula invadunt petuntque improbos servos, molam vertere jussos in pistrino.*

4 *Cujus eximia fuit laus celeritatis.*

5 *Discipulum segnem, & qui vocatem Præceptorem adire cunctabatur.*

6 *Salomon, Judæus è trivio, pro quocumque Hebræo sumitur.* recutitaque Sabbata pallet. Pers.

7 *Figura, & species extima libelli.*

8 *Allegoricè. si, quæ habet impressa liber, sacra sunt, ut ornatus exterior promittit.*

9 *Fingit, legere se in libello titulum licentioris Comœdiæ.*

10 *Fabula Pastoralis nulli non nota.*

1 Temulentia, *ebrietas. à temeto, quod vinum.* temetum, *quasi tentans mentem. hinc* abstemius, *quasi absque temeto. alii ab abstinendo.*

2 Excetra. *Hydra Lernæa; quòd uno secto capite, alia proveniant.* Plaut. in Perf. cum leone, & cum excetra, cum cervo, & cum apro Ætolico, cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim, quàm cum Amore.

Addere jam poterit; poſtquam devenimus iſthuc;
Ut lateant ſacri modulo formaque libelli
Tabificæ peſtes animi; præconia monſtret
Nazareæ mendax ut pagina Virginis, intus
Quæ tegit Idalias, Cocytia ſulphura, flammas?
Nimirum, ut ceſſent choreæ, convivia, ludi,
Obliqui & motus animorum, omneſque nocendi
Quæ ſuperant artes; Scriptorem crede profanum,
Incautæ [3] Euripum, Maleam, Scyllamque Juventę.
Quot gravis egregias animas abſorbuit Orcus,
Lubrica quòd miſeris occurrit pagina? Teſtis
Tu mihi, qui mores è Cælo, & nomen ab [4] auro,
Auguſtine, trahis, quo feliciſſima partu
Excuſat monſtra, & genitales Africa peſtes.
Aureli, miſerum, quo mergeris, excute tergo
[5] Pondus aquæ; fœdas, Libyæ leo, rumpe catenas:
O miſer, inque dies ultra miſer! effluis amens:
Quàm te præcipiti Stygius rapit impete vortex!
Quò graderis? quò lucis inops veſtigia denſis
Cæca trahis tenebris: te nox circumvolat atra:
Ni properas, [6] aſpreta time aſſultuſque ferarum.
[7] Cras fiet. rapidus, ſine, torrens prætereat me.
Hei miſero mihi! quas animo ſalebras vitiorum
Induxit conſuetudo mala! dividor anceps:

3 *Euripus. fretum anguſtum, & valde æſtuoſum inter Aulidem, & Eubœam.* Malea. *Promontorium Laconiæ, multis infame naufragiis. unde adagium.* cum ad Maleam deflexeris, domeſticos obliviſcere.

4 *A Divi Auguſtini prænomine, quod eſt, Aurelius.*

5 *Vitia ſcilicet juventutis.*

6 Aſpreta. *abrupta loca.* Livius.

7 *Auguſtinus reſpondet.*

Haud equidem renuo; gemino sed distrahor hamo:
Nunc huc, nunc iterum feror illuc: cras meliùs, cras.
[8] Altera lux fulsit: promissis grandibus insto.
Excute te; votique reus jam solve tabellam,
Servatus scopulis dextro bis Numine. rursus
Cras fatuum ingeminas. expectasne, improbe, ut istud
Cras [9] elumbe tuum Priami tibi sæcula sudet?
[10] Exueram bis ter laqueos, &, Vincula rupi,
Clamabam victor: [1] vivaria fugimus, [2] Io:
Sed blandæ gressus alacres tenuistis [3] Athenæ.
Sidera clamabant, propera: subsistere contra
Hortatur dulci modulatrix Græcia cantu.
Indulge Genio, dicebat; dulcia poma
Carpe libens, ætas dum fervida: panda Senectus
Accelerat gressus, choreis inimicaque ludis.
Non homines pudeat magnorum exempla Deorum
Posse sequi. simul incestum scelerata [4] Tonantem

8 *Iterum Author ad Augustinum.*

9 Elumbis. *vel* elumbus. *qui præ lumbi debilitate se erigere non potest.* Festus. *per translationem pro molli & effœminato sumitur.*

10 *Altera Augustini responsio.*

1 Vivarium. *locus conclusus, in quo viva animalia, quæ nostro victui deserviunt, detinentur, sive pisces sint, sive aves, sive feræ.* Gell. l. 2. c. 20. *septa tamen, quibus feræ pascuntur, peculiari nomine dicuntur* Leporaria; *ubi pisces*, Piscinæ; *ubi aves*, Ornithones, Aviaria.

2 Io. *interiectio est, quæ aliquando lætitiam exprimit, apud* Ovid. dicite, Io Pæan, & Io bis dicite Pæan: *aliquando dolorem, ut apud* Tibullum. Uror, Io: remove; sæva Puella, faces.

3 *Illecebrosi cantus Vatum Græcorum.*

4 *Vide, quæ in lascivas Fabulas habet* S. Aug. Confess. l. 1. c. 13. 16. & 17.

Pagina, [5] Olorinumque nefas, Pluviamque docebat,
Et Taurum, sævæ celebrem Junonis ob iram.
O pudor! ò magici metuenda pericula cantus!
Dulcibus insidiis victus prope cesserat ille,
Si non pugnantem majoribus astra levassent
Viribus, & validis Cælum concurreret armis.
Tantæ molis erat Cypriis occurrere chartis.
I nunc, & cedro tua carmina digna perenni,
Si potes, esse puta; generoso mergere jactu
Quæ possis, ubi nolo nunc, nec dicere, quando.
Sed famam, increpitas, & amicã quærimus aurã.
Scribimus inclusi cellis, veterique [6] grabato
Surgimus ante diem; cum nondum vina cremata
Institor exclamans nebulosam circuit Urbem;
Scilicet ut Latii Proceres post prandia poscant
Convivas, excusa recèns quid carmina narrent;
Quæ pingui redeant cum laude, [7] papavere molli
Oblita; nam siccæ pariunt fastidia Musæ.
Sed quid profuerint ridendæ murmura laudis,
Quid laudatores, quos forsan cœna paravit,
Si tibi molliculæ, nullo reparabile cantu,
Exitium Musæ pariunt; si pabula flammis
Congeris ipse tuis, Lycidæ dum concinis ignes.
Audi, quid memoret Libycis [8] Aurelius oris;

5 *Jovis in Cycnum, pluviam, & taurum mutati amores flagitiosos.*

6 Grabatus, *propriè exiguus est lectus, in quo veteres somnum meridianum capiebant. hìc pro nocturno sumitur lecto.*

7 *Ex papavere albo & melle placentulæ fiebant.* Petron. mellitos verborum globulos, & omnia dicta, factaque, quasi papavere & sesamo sparsa.

8 *Celeberrima illa est S. Augustini sententia de Ethnicis Sapientibus.* Cruciantur ubi sunt: laudantur ubi non sunt.

Audi, iterū moneo, penitusque hæc mente recondas.
Magnarum referunt, ubi non sunt, irrita laudum
Præmia; suppliciis, ubi sunt, crucientur amaris.

FINIS.

INDEX

Carminum, Descriptionum, & Rerum notabilium ex primo, secundo, & tertio Tomo.

INDEX CARMINUM EX TOMO I.

Ex primo libro Epigrammatum.

XXXVI. *Ad*

LXXI. *Ad*

sum.

Ex Libro ſecundo Epigrammatum.

LIX. *De*

LXXVIII. *A-*

Ex Libro tertio Epigrammatum.

VII. *A-*

XXVIII. *De*

tem

gan-

INDEX CARMINUM &c.

Ex Libro quarto Epigrammatum.

INDEX CARMINUM &c.

Ex Libro Miscellaneorum.

Apo-

EX ANACREONTE RECANTATO

Palinodiæ in Odas Anacreontis.

XXXVI.

IN.

INDEX CARMINUM EX TOMO II.

Ex primo Libro Heroïcorum.

Ex Libro ſecundo Heroicorum.

tem-

Ex Libro primo Elegiarum.

Ex

INDEX CARMINUM &c.

Ex libro secundo Elegiarum.

Ex Libro tertio Elegiarum.

III. *Fa-*

Ex uno Libro Lyricorum.

INDEX CARMINUM EX TOMO III.

SATYRA I.

Adversus Deos fabulosæ Antiquitatis.

SATYRA II.

Ejusdem Argumenti.

SA-

Cri-

SATYRA XII.

In Poetas parum pudicè scribentes.



INDEX

DESCRIPTIONUM PRÆCIPUARUM, QUÆ CONTINENTUR IN I. II. ET III. TOMO.

Prior numerus Tomum, secundus Paginam indicat.

Cru-



INDEX

RERUM NOTABILIUM QUÆ CONTINENTUR IN I. II. ET III. TOMO.

Prior numerus Tomum, secundus paginam demonstrat. Littera N. Notas, numerus appositus Notarum numerum indicat.

A

Ita-

Al-

Areo-

C

An-

D

Fa-

F

tes.

I

Jup-

K

L

Lo-

M

N

O

O

P

Pe

Sta-

T

Ton-

cru-

X

Y

Za-

Z

Errata Tomi I. sic corriges.

Pag.	10. v. ult.	Urſos,	Urſos.
	18. v. 6.	ille diem.	ille diem;
	20. v. 9.	ſitiret	ſitiret;
	22. v. 5.	referant;	referant
	28. v. 1.	ſupemis	ſupremis
	51. v. ult.	habet	habet.
	60. v. 12.	ſiuus	ſinus
	127. v. 7.	vitæ,	vitæ
	137. v. 8.	tbi	tibi
	155. v. 7.	tellus	, tellus,
	160. v. 2.	Inde	Indi
	168. v. 8.	laudas	laceras
	212. v. 2.	Ithacenſis	Ithacenſis,
	227. v. 23.	commoſtraret	commoſtrarent
	229. v. 13.	benignos	benignus
	236. v. 9.	triduane	triduana
	ibid. v. 11.	confragroſos	confragoſos
	261. v. 25.	Magis	magis
	263. v. 7.	fuligionoſis	fuliginoſis
	282. v. 9.	beatè	beate
	284. v. 16.	Hoſpitium	Hoſpitum
	292. v. 11.	Superbæ	ſuperbæ
	ibid. v. 19.	ipsâ	ipſa
	296. v. 19.	inquam;	inquam,
	306. v. 4.	berbibat	perbibat
	336. v. 11.	Evan.	Evan,
	ibid. v. 26.	ebrioſa	ebrioſo
	346. v. ult.	Meal.	Male
	358. v. 1.	Inventus	Juventus

Erra-

Errata Tomi II. ſic corriges.

Pag. 53. v. 15.	deferendam	deferendum
67. v. 13.	*dele* punct.	
84. v. 1.	Auſtriaco	Auſtriacos
115. v. ult.	Nec mora ſanguinei	Nec mora.ſanguinei
126. v. 21.	cornua	cernua
138. v. 21.	at	aut
155. v. 6.	ſævitiem	ſævitiam
173. v. 21.	fauſtæ,	fauſtæ
174. v. 20.	nequiddam	nequidquam
190. v. 25.	vellere	vellera
107. v. 9,	mei	meis
224. v. 17.	Ille	Illa

Erra-

Errata Tomi III. ſic corriges.

Pag.	8. v. 14.	Paretonio		Paratonio
	33. v. 16.	Lætâ		Læta
	42. v. 3.	Myrthos		myrtos
	48. v. 12.	myrthus		myrtus
	76. v. 10.	Amphitrioniades		Amphitryoniades
	85. v. 8.	Ciſiis		ciſiis
	88. v. 8.	Non ſunt,		Non ſunt
	95. N. 5.	ſuæ claſſis		Aeneæ claſſis
	96. v. 4.	Uliſſe		Ulyſſe
	160. v. 4.	Levâ		Lævâ
	162. v. 2.	quæ ſint,		, quæ ſint
	178. v. 3.	corruſcans		coruſcans
	189. v. 3.	Inſigna		Inſignia
	222. v. 10.	*in fine adde*		:
	286. N. 5.	Deſtercuit		Deſtertuit
	307. v. 12.	ſcriptiat		ſcriptitat
	330. v. 13.	mensâ		menſa



